6
20-b
D
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 G
38
-6-13-
Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
21-I-64
21/7/00.
21/9/79

Graſſi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

CAROLI MARIÆ MADDII,

ANECDOTA POSTHUMA

Miſcellanea.

CAROLI MARIÆ MADDII,

CLARISSIMI VIRI, INSIGNIS POETÆ,

Olim in Palatino Gymnaſio Mediolani
Scientiæ Græcomoralis eruditiſſimi Magiſtri,
& Excellentiſſimæ ejuſdem Urbis
A SECRETIS,

Anecdota poſthuma Miſcellanea,

Nuper inventa, in ordinem redacta, & luci exhibita ſtudio, & diligentiâ

JACOBI MACHII,
Mediolanenſis, S. T. D.,
Qui inter FATICOSOS appellatur *Indifferens*.

SUB AUSPICIIS

Excellentiſſimi Domini

ANTONII LITTÆ,

Marchionis Gamboloti, Garbanæ, & Remondorii,
Comitis Vallidis, Domini Trenzaneſii, & Torratię,
ex Magnatibus Hiſpaniarum, ex LX. Decurionibus Excellentiſſimæ Civitatis Mediolani,
ex Secretiori Excelſo Conſilio S.M.C.C.,
& Commiſſarii Generalis Exercituum
in Ditione Mediolanenſi, Lombardiâ, & Pedemontanâ
Provinciâ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIOLANI MDCCXXVIII.

Ex Typographiâ Joſephi Pandulphi Malateſtæ.
Superiorum permiſſu, Et Privilegio.

Excell.^{me} Domine.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quod diù anxiis votis optaveram, ut publicô aliquo teſtimonio obſequium meum tibi probarem, EXCELLENTISSIME DOMINE, id impræſens conſecutum me arbitror, cùm pedibus tuis literarium hoc munuſculum reverenter advolvo. Deterruit me hucuſq; ab hujuſmodi implendo gratiſſimo officio, non

tam

tam tenuitas mea, audaciæ notam perti-
meſcens, ſi meriti vacua, ac ſolâ vene-
rationis commendatione ſuffulta ad te
accederet, quàm magnitudo ſplendoris
tui, quo ſuper cæteros, ſanguine ſimul,
ac virtute præclariſſimus aſſurgis. Quis
enim infirmis oculis in altam illam
lucem, quâ undique circumdaris, de-
ſcendere valeat, aut longam ſeriem
Avorum metiri, quos univerſa ferme
Europa recentibus, vetuſtiſque Ætati-
bus, illuſtri rerum egregiè geſtarum
memoriâ conſpicuos vidit? Quis dotes
ampliſſimas, quibus tu ipſe ornaris, at-
que in te uno collectam veluti Majorum
omnium virtutem oſtentas, æquâ laude
recenſeat? Hodiernâ tamen luce timo-
rem excuſſi, cùm præſtantiſſimi Viri
Caroli Mariæ Maddii lucubrationes no-
mini tuo dicandas pararem. Quod
namque obſcurô mihi, ignotoque apud
te

te meriti deerat, abundè penſat claritas doctrinæ, quam in tanti Viri monumentis, Mortis invidiam vincentibus ſuſpicere poteris. His me commendatum præſidiis ſatis, ſuperque confido, precorque Deum, ut pro ſummâ eâ benignitate, quâ obſequium hoc meum excipere dignaberis, cumulatiora ſemper beneficia in Te, tuamq; progeniem, ſeros in annos duraturam, effundat. Vale.

Ex Typis meis hac die 15. Aprilis 1728.

Excellentiæ tuæ

Humil., Obſeq., & Addict. Ser.
Joſeph Malateſta.

DE

DE mandatô Reverendiſſimi Patris Inquiſitoris, Librum, cui titulus *Anecdota poſthuma Miſcellanea Caroli Mariæ Maddii*, exactè perluſtravi, ex ejuſq; attentâ lectione nihil ne dum mihi emerſit, quod Catholicæ Religioni, aut probis moribus adverſetur; quin imò poeticum metrum in multis non modicâ pietate affluentem invêni. Quapropter ad utilem, eruditamque Delectantium inſtructionem prælo mandari poſſe cenſeo.

Innocentius Piola, Librorum Cenſor.

Die 24. Novembris 1726.

Stante præſ. atteſtatione

IMPRIMATUR

Fr. Ludovicus Maria Beſozzi, Ord. Præd. Sacr. Theol. Magiſter, Vicarius Generalis S. Offitii Mediolani.

Franciſcus Curionus, Obl., Parochus S. Euſebii pro Reverendiſſimo, & Eminentiſſimo D. D. Cardinali Odeſcalco Archiep.

Gallarinus pro Excellentiſs. Senatu.

LEC-

LECTORI BENEVOLO
JACOBUS MACHIUS
felicitatem.

GRande illud, notiſſimumque totius literaturæ Nomen, Carolus Maria Maddius, inedita quædam divini ingenii ſui monimenta reliquerat, quæ ut Collectoris oculos effugérunt, ita oblivioſo æternùm pulveri devota eſſe debuerant. Fauſto itaque, ſed inſperato rerum eventu factum eſt, ut, dum in poſthumis junioris Maddii Operibus, quà Philoſophicis, & quà Poeticis, ad promeritam lucem aptandis, ordinandiſque eruditum apud Sæculum gratiam adepturi, juſtiſſimas vigilias impenderemus, fortè fortunâ ante oculos ſcripta quædam Senioris emerſerint, quæ, quia publicam cæterorum ſocietatem prolixâ nimiùm latitatione deſperabant, debuerant idcirco perniciori motu in claritatem ſibi debitam convolare. Habes ergo, Lector humaniſſime, nova excellentiſſimi Vatis carmina, quæ in ſacra, moralia, atq; profana diſtinximus, inq; tres Tomos, quorum prior Latina, alter, & tertius Itala continent,

digeſ-

digeſſimus. Nec propterea ſpernenda cenſuimus jocoſa aliqua, & quæ, dum per juvenilem liceret ætatem, Cupidinem fingerent, non tamen excolerent: ſiquidem nec bellaria ſaturam jam menſam dedecent; quin eam complent, & moroſiora labia ad lectioris meri calices viciſſim invitant. Ab egregiis profectò Authoribus quidquid etiam negligendo exciderit, colligendum eſt, & non ſinè veneratione ſervandum; quippe qui ſuppleant famâ nominis, ſi quid fortè deſit caſtigationi. Neque enim fieri fas eſt in Authorum ſcriptis, quemadmodum fit in campis; ubi poſt collectos, diſtinctoſque manipulos, quàcunque occurrunt ariſtæ ab oblivioſâ paſſim collectione deciduæ, quæ tamen patientiſſimam Egenorum operam frumento poſtmodum cumulant. Omnia, & omninò colligenda ſunt. Id ſanè, quantùm in nobis fuit, præſtitimus in coactis, diſtributiſque, quæ uſq; latuerant tanti Viri Caroli Mariæ Maddii conſectariis. Magno ſanè, & non admodum credibili laboris diſpendio hæc, quæ ſorte obvenerunt, pretioſiſſima in vnum contulimus; præſtito nimirum, quo carebant, ordine; additis, qui deſiderabantur titulis; & pro modulo ſuppletis, quas carierum æmulatrix, ſeu ſcribentis mors, ſeu per publicas diſtracta curas fatigatio reliquerat, Lacunis; quas quidem variis in locis non adeò breves invenimus, ut plurium non ſemel carminum neceſſariâ, quoad

nobis

nobis videbatur, non ſteterint ſubrogatione. Sed & hanc operam longè abundiùs impendere nobis oportuit, dum Italica, quæ chaos penè altum involverat, cogeremus, & congruis partitionibus donata, ut ſculptas effœte reliquias Ætatis ab effosâ tellure erutas, mos eſt Antiquariis in ſcrinio collocare, diligentiſſimè diſtribueremus; &, quæ ſupremam manum deſiderabant, plurima, conato, quantùm in nobis fuit, Maddiano Marte, perfecimus, ne quid ruinoſum, & ſemirutum legentis curſum detineret. Erunt forſan, qui religionem ſentiant, quòd alieno ingenio, & præcipuè noſtro (quod, quàm exiguum ſit novimus) non ſinè aliquâ audaciæ ſpecie, completa fuerint ea fragmenta, quæ ſuis vel in defectibus incly ti majeſtatem Authoris repræſentaſſent. Ita nullus ex Neotericis, ut ut egregius, Pictor imperfectas, ſiquæ extarent Zeuſis, vel Apellis tabulas penicillo ſuo, quantamvis imitationem conanti, auſus fuiſſet perficere, veritus, ne inſpicientium indignationem, loco laudis inveniret. Hic certè ſcrupulus nos non ignaros, nec temerarios diù tenuit, & implicavit. Verùm, quia ex Magnorum exemplo Virorum error vel oritur nullus, vel oritur excuſatus, metum omnem depoſuimus, ubi contrectare manibus datum eſt, oculiſque luſtrare Magnum Pariſienſis Academiæ Principem Heuremontium, qui Latina Petronii Arbitri ſatyrica argentei Ævi

claritudinem loquentia, Gallico ſermone donata, multiplici ob temporum ſenectutem inanitate ſcatentia, latinè, & quàm potuit ſimillimè, implevit, rerumque ipſarum, quæ mancam reliquerant narrationem, effluvia adeò feliciter eſt proſecutus, ut legentis oculus nec ſalebras inveniat, nec ſupplementum advertat. Idipſum nobis cum Clariſſimo Maddio ſperare licuit, vel ſaltem tentare. Non eſt igitur ampliùs, quòd vitio verti debeat, imitatio meliorum. Quod autem ad Egregii in omnibus Viri laudes attinet, quamquam nullæ ſatis pro merito darentur, actum tamen agerent, ubi florem ſui omnem, & ſuccum noverint invenire apud literatiſſimum, cui ſemper humillimas faſces ſubmittemus, Ludovicum Antonium Muratorium, in ejuſdem jam editis Libris, præmiſsâ vitæ Hiſtoriâ, & carminum ſuorum Prologo veluti galeato. Satis enim ille toto paſſim Orbe celeberrimus Author, cujus ſuffragium tùm veterum, tùm recentium Scriptorum fama eſt grandis, ſpectare nobis dedit de Carolo Mariâ Maddio, & obſtupere, tùm ejus mirabilem inter lubrica, & periculoſa Ævi commercia, uſque ad extremum vitæ perductam probitatem; ſingularem, quâ ſibi ipſi deſpicatui erat, animi demiſſionem; utramque, & moralem, & artificioſam Muſarum caſtitatem; Latii, Græcique ſermonis, veluti nativam, felicemque conſuetudinem; Ethicarum,

rum,

rum, divinarumque rerum emunctam peritiam; Virtutum denique omnium conſtantem, perfectamque rationem. Ab hôc ergo, æquiſſimæ cæteroquin laudationis debito, optimi Laudatoris præoccupatione juſtè abſolvimur, precamurque te, Lector ingenuè, ut hoſce noſtros, qualeſcumque ii ſint, labores æquo animo accipias, & diù valeas.

Aſt quia nec falx herbas omnes, nec memoria omnia colligit, unum exciderat, amice Lector, quod te monendum initiò propoſueramus: nos nimirum diligentiam omnem, quam potuimus maximam adhibuiſſe, nequid iterum in tanti eximii Viri Typis irreperet, quod jampridem fuiſſet excuſum. Sed, Deus immortalis! Quantæ fuit circumjectio hàc, & illac obtutui res hæc defatigationis, & tædii! debuit oculus Amanvenſia omnia priùs percurrere, deinde Typographicè impreſſa: Comparare ſingula, & minutatim attendere, ne quid volaticum fortaſſe aſpectum fefellerit, & effugerit. Forſitan aliquid fefellit, & effûgit; non contra juraremus. Quid tu inde? Humanitate, quâ polles, excuſa, & iterum Vale,

Inventis nuper, & publicæ luci datis poſthumis aliquot ſcriptis celeberrimi Vatis, & Sophi

CAROLI MARIÆ MADDII,

Pro grato Literario Orbe Elegiacis metris plaudebat

Maria Helena Luſiniana, Genuenſis.

ECce novi ſurgunt Maddj ſenioris honores,
  Appulit in lucem poſthumus ecce labor.
Fortunata Manus, quæ carmina digna coegit!
  Oh pretioſa oculis pagina ſera meis!
Non ita lætatur theſauri Inventor avarus,
  Non ita, cui gemmas Unda remota dedit:
Iſtas nimirum non occulit ampliùs Ætas,
  Urna nec immeritas pulverulenta capit.
Junguntur primis, famamque reduplicat Auctor,
  Cujus Apollineum nomen ubique ſonat.
Quando Syracuſius nova ponderis organa Vector
  Detexit, plauſu bulliit aula ſuo.
Mille reſurrexit reſonabile murmur honorum,
  Laus nova per veteres expatiata fuit.
Divini haud aliter conſurgit fama Poetæ,
  Quem Virtus, & quem plena Minerva beat.
Regia in Inſubrico Majeſtas clauſa Senatu,
  Cujus ab arcanis nobilis Auctor erat.
Huic jam divini conceſſit nomina Vatis,
  Et titulum tabulis juſſit ineſſe ſuis.
Dum lauro donat crines, & nomina cedro:
  Imprimit impreſſis ſe data Fama libris.

Atque

Atque iterum ſurgens inopinas concutit alas:
 Sunt numeri numeris, ſunt metra juncta metris:
Et Sophus, & Vates virtute ſuperſtite notus
 Officia hæc laudum congeminata meret.
Nam quas reliquias operum collegimus, illas
 Cernimus in plures evolitare manus.
Quantaque de primis venêre encomia Muſis,
 Tanta recens, viſis, cuncta per ora ſonant.
Vidit inhumanum damnoſa oblivio crimen,
 Quæ facta Heroum, ſcriptaque digna tegit;
Pulvere conſperſis lacrymas eduxit ocellis,
 Dextraque in incultas ſæviit atra comas.
Clamavitque ſibi: pudor eſt voluiſſe recondi
 Hæc quoque Apollineæ pignora clara manus:
Detraxiſſe pudet quoſdam de Sole nitores,
 Queis modò detectis fulgurat alma dies.
Poſterioris erat Virtus non indiga laudis:
 Sed ſpatium laudis poſterioris erat.
Divite ab extincto nova commoda colligit Hæres,
 Fitque revelatas ditior inter opes.
Sum rea neglecti jampridem divitis uſus,
 Atque aperit crimen ſedula dextra meum.
In Famam vertor, ceſſavi oblivio, centum
 Ora mihi cupio nunc, totidemque tubas;
Ut reſonent iterum ſuper æthera nomina Maddj,
 Nomina per Faſtos ſemper itura novos.
Dixit, & edocto calcaria contulit Orbi,
 Iret ut in metricos, hôc duce, ſæpe modos.
Cultaque divinis ſacraret carmina rebus,
 Eſſe jubens illis cuncta profana procul.
Hanc nempe ille viam calamo, meritiſque premebat:
 Nil, præter Cœlum, quod placuiſſet, erat.
Vel moriens cecinit cœleſtes inter Olores,
 Vox expirantis cantio ſacra fuit.
Oh utinam canerent omnes hac lege Poetæ,

Ut raperent Animas Fata canora ſuas!
Supplevit Phœbum Jeſus, Calvaria Pindum;
Supplevit Veneris Virgo decôra ſonum.
Spiritus æternus puros præcepit amores,
Ut fureret ſacris ignibus ille ſinus.
Nec periere ignes per docta volumina fuſi,
Quin alii lætos nunc peperere dies.
Fauſta mihi lux eſt, quòd luce revolvor in iſtâ,
Ut tenebras nomen neſciat inde meum.
Nam dignos laudare Viros eſt maxima laudum.
Iſta ſagittiferos pulcra ſagitta ferit.
Carole! non ultra malè culta Elegîa ſonabit:
Ne fœnus laudis, quæ dedit, ipſa trahat.
Namque Helenæ nomen, quod cenſeo jurè ſilendum,
Te celebre evadens, incipit eſſe tuum.

De nuperis utriuſque MADDII Operibus Judicium ex Jambo Sophoclis, latinè ſic redditô.

Nam Veritate potentior eſt Opinio.

Hôc expreſſum EPIGRAMMATE

A Mariâ Helenâ Luſinianâ, Gennenſi.

QUantumvis clamet Verum, venerabile Verum!
Heu non auditur! Fabula vana placet.
Uſus opinandi faciles ſibi ſubdidit aures,
Et rerum Judex unicus eſſe ſolet.
Non itur, quà pergendum; quà pergitur, itur.
Nulla viam ratio, ſola ſequela docet.
Circinus errori ſi torqueat arte capillum,
Ecce locum veri protinus error habet.
Maddj vade Liber: Tibi fata benigna precamur:
Incipient ex te vera placere magis.

Sciat

SCiat Lector benigniſſime, quòd dum ſcriptis Caroli Mariæ Maddii, quæ defuncti memoriam Authoris adhuc ineditam indignari videbantur, verſandis, partiendiſque occuparer, venit in manum aureus hic de Chocolatâ Elegiacus Dialogiſmus: ubi cum & argumenti lepôrem, & Poeticæ inventionis raritatem, cantuſque peritiam omnigenâ eruditione cumulatiſſimè refertam, fuiſſē largiter demiratus, quodque rei caput eſt, in maximam cederet ipſius Caroli Mariæ gloriam, & decus, qui rogatus, ut conſtat ex ipſo contextu Elegiæ, ab Amicis, in gratiam eorum lepidè; & eleganter hanc de tam utili ſorbitione hiſtoriam exaravit; non me detinui, quin illico paginas conferrem, ut fœtum pulcherrimum ingenii tanti Viri debitâ lucis uſu â donarem. Quia tamen voti compos haudquaquam eſſe potuiſſem, niſi lacera, & mutila, maliq; macie atramenti conſumpta quàmplurima ſuppleviſſem, id etiam præſtiti per plura quâquaverſùm deſiderata carmina, & diſtica, quæ utinam (quod animo noſtro altè hærebat) cultiſſimo exemplari conformia prorſus contigerint! Saltem pro virili curavi hoc, ne mei à Maddianis verſibus diſcriminarent.

Addo & alia in Authoris laudem carmina Itala, ac Latina, quæ non tantùm ob peculiarem excellentiam, quàm ob magnam laudem, quam à celeberrimo laudato Viro capiunt, ſola ſufficerent, ut Typis conſignarentur, publicamque admirationem mererentur. Siquidem, & ab eo, quo inventa ſunt conſortio nequaquam ſeparentur. Cur enim ſi ſociales inter tenebras latuere, ſociali quoque luce non gaudeant?

DE CHOCOLATA
DIALOGISMUS ELEGIACUS.

Clientes. Maddius.

C. HEllados Italici, ſermonis ſuada latini,
Pignus, & Inſubriæ ter venerande Cato;
Ad tua confugimus ſupplex oracula Cœtus,
Sphingis ut enodes carmina cæca novæ.
Nuper ab obſcuro Sphinx Bellojana barathro
Propoſuit Famulis hæc paradoxa tuis.
Enneas ex variis ego conſto condita rebus,
Biblia, quam Cicero, non cecinere Maro.
Pyrrhus, Alexander, Romana potentia, Cœſar
Conculcare meum non potuere ſolum.
Auſpice quod primo, Chriſtum portante Columbo,
Detectum auguſtas deveneratur aves.
Enneas ut mea ſit tibi non ignota, biperti,
Diſtinguat pentas, membraque noſtra tetras.
Formetur chorea, hinc abeat retrogradus aer,
Quod ſupereſt non eſt pentas, at una trias.
Pentas ut evadat, repetes, ſupereſſe quod audis,
Dummodo, quod medium eſt, in repetendo leves.
Pentada deſcripſi, ſtructuram Tenados audi,
Non longa, aut alta eſt, ſed modò lata tetras.
Occupat, oh Maddi, noſtras confuſio mentes,
Oramus, nobis Oedipus eſſe velis.
M. Non ænigma tetrum eſt, nec inenodabile, vobis
Grammaticæ ſenſus norma fidelis erit.
Vos ænigmaticam attentè comprendite formam,
Ut, quid ſignificent, lumina veſtra legant.
Enneas eſt nobis, meliori fuſa metallo,

Terque

Terque caput triplex vaticinatur opus.
Ecce prophetantis juvenilia ſenſa Camenæ;
Pellamus tenebras erudiente Deo.
Chriſtus Hebræorum Offuciis Crucifixus Obibit;
Lanceola Atroci Trajicietur Acu.
C. Vitantes Sphingem penetravimus antra Sibyllæ,
Nos caligo duplex occupat, affer opem.
Quò minus ingenium cruciet tortura Clientum,
Clara magiſterii da documenta tui.
M. Annuo. Quidquid erit veſtrâ dignum indole, pandã,
Ut morem vobis noſtra cathedra gerat. (quo
C. Pande, quota Enneados ſit ſyllaba? ***M.*** bina bis. ***C.*** at
It pede? ***M.*** judice me Pyrrhichoræus itat.
C. Exprime rem. ***M.*** fuit antiquis incognita Sæclis,
Notuit & noſtris, ut novuus Orbis, avis.
Quindecimum Sęclum poſt luſtra quaterna labebat,
Trajecta ad noſtras cùm medicina plagas.
Miſit Ulyſiponem primùm, detecta recenter
India proficuam ſorbitionis opem.
Hanc ex balſamici vaginis Indus odoris
Condere, aromatibus, ſeminibuſque ſolet.
Haud tamen eſt unus Japonia, America, veſtris,
Qui ſorbent, Populis India, China ſtylus.
Utitur hic gummi, flores hic ingerit, herbas
Vult hic, odoriferas congerit ille nuces.
Potus præcipuis ex mercibus indere mos eſt
Cacacium, nuculam cujus imago refert.
Sacchara ſic Indis incognita, ut Indica nobis
Potio, cùm patuit nuperus Orbis, erant.
Hinc Europæis inſuavia viſa fuere,
Plenaque amaritie pharmaca prima labris.
Europæ potum Medici novere ſalubrem,
Suavior ut fiat, ſacchara mixta jubent.
Saccharinâ methodo nos compenſavimus Indos,
Sic ſorbet grates Orbis uterque ſcyphos.

Nomen ab Hiſpanâ prodit gentile loquelâ,
Inque ſuum aſcivit lingua latina forum.
Eruerit nomen quo Nomenclator ab antro,
Hactenus eſt oculis res tenebroſa meis.
Quam fero, trado facem, cum res exotica nolit
Vel Græcam, Latiam vel tolerare fidem.
Antidotum ex gĕmis, quod conſtat, & ex hyacinthis;
Chacunde Sinæ Gens ſale plena vocat.
Nomen ab hôc aliqui derivant fonte, quid hauſtus
Iſte ſit ob dotes res pretioſa ſuas.
Vel quia Caçacio, cum ſit pretioſior Indi
Compoſiti ſpecies, hic tribuatur honos.
Credite, quod veſtro dignum ſit acumine, nobis
Sit ſatis hanc digito ſignificaſſe viam.
Paſtillos Latio, vel libero idiomate dices
Fruſtula Japoniæ conſolidata doſis.
Ni trochilos, boloſve, veliſve vocare trochiſcos,
Vel quos conſimili nomine Muſa docet.
Implevit novitas Italum medicaminis Orbem;
Cui res ut placeat, ſufficit eſſe novam.
Hæc Procerum ſolis in conſuetudinis ortu
Advena viſa fuit potio digna labris.
Paulatim cunctas ſic introducta per Urbes
Proſtrat, ut omnigenas recreet illa gulas.
Eſt hic amicitiæ ceu teſſera, amabile potus
Hoſpitibus Xenium, nobiliuſque mero.
C. Carole cur vocitas medicinæ hunc nomine potum?
M. Quòd proſit multis, vt medicina, malis.
C. Anxia, Præceptor, rurſus te Turba precatur,
Virtutem ut potus enucleare velis.
M. Quò deſideriis reſpondeat undique veſtris,
Cùm mea cognitio, tùm mea lingua, canam:
Pharmaca ne veſtræ ſint detrimenta ſaluti,
At morbos reparent, hæc monumenta dabo.
Queis hypocondriacum virus per viſcera ſerpit,
Con-

Contagem ex hilari ſorbitione trahunt ;
Utilis at reliquis eſt ſorbitiuncula chylis,
Ut caleat, quantùm ferre labella valent ;
Antidoti ferventis, ubi ferventior æſtas,
Quâ natura magis debilitatur, eget.
Manèque ventriculus poſtquam diſcuſſerit eſum ;
Pro ſorbillando eſt aptior hora ſchypo.
Sanior eſtque, die ſi non rebibatur eodem
Potus hic. Hiſpanos excipe; cauſa patet.
Mos apud hos Populos, veluti natura, bibendi eſt
Non ſemel in quovis fruſta liquata die.
Præcedant ſorbilla cibùm per quatuor horas,
Quinque vel unciolis bis moderata tribus.
Hoc ego te moneo, ne ſorbillator in hauſtu
Sedimenta cadi perniciosa bibas.
Obſtrueret venas ſentinæ craſſior humor,
Et eiceret bilem tetra cloaca tuam.
Potio factitia ad menſem requieſcat, & ultra;
Ingerat in venas ne nocumenta tuas.
Tempore frigeſcat, nulloque rebulliat hauſtus,
Uſus uterque tibi perniciosus erit.
Par ſit an Italicus modus, ut ſorbilla coquantur
Chinenſi, Juvenes, ambigo, noſter hic eſt.
Cacabus aptatur, mola quem verſatilis intrat,
Igneque præſcriptâ pharmaca ſolvit aquâ.
Structa ſit argillâ, fabricata vel ollula cupro,
Quæ valeat prunas, artificemque pati.
Aptiùs ut liqueat, ſe ſpumeus elevet humor,
Sit mola de ligno, quæ revoluta terat.
Fruſta minutatim ſcobe ſi, conciſave cultro,
Arte reſolvantur commodiore molæ.
Hæc doſis. Unciolam recipe unam pulveris, undæ
Quinque, revolve molam, ſpumet ut olla, bibe.
Mixtorum vires, innata potentia, potus
Hujus abundanti debilitantur aquâ.

Hinc

Hinc fit, ut hôc ſolus ſapor inveniatur in hauſtu,
  Et nutrimenti vix remanentis odor.
Accepi, quibus eſt ingratior unda Lyæo,
  Mexica ferventi fruſta liquare mero.
Sunt, quibus arridet pro lymphâ infundere in ollam
  Jurave pullorum, vel vitulina; probo.
Quæſtio ſed nobis non eſt de guſtibus: hauſtum
  Sorbent ad genium quælibet ora ſuum.
Mexicus inſtaurat validè præcordia potus,
  Concoquat ut maſſam, ventriculumque juvet.
Sorbile nectar alat, communis opinio ſuadet,
  Pellat & inde ſitim, pellat & inde famem.
Vis tamen ad ſenas, vel ſeptem durat ad horas,
  Prout ſemper rerum vera magiſtra docet.
Hæc ablactatus ſugit ſorbilia Pupus,
  Grataque cum raro pane alimenta trahit.
Potio languentem vegetat medicata Senectam,
  Et vis ſpirituum ceu rediviva redit.
Corpora pinguefacit macilenta frequentior uſus,
  Ferventemque calens temperat unda ſitim.
Vena ſalutifero percurrit purior hauſtu,
  Corporis, & flatus hæc panacea fugat.
Hinc naturalis vigor, & ſubſtantia cordis
  Creſcit ab exhauſto vivificata cado.
Vis quoque Sinenſis ſiceræ mirabilis hæc eſt,
  Ne ſorbillantes ebrietate gravet.
Quòd non indigeant ſomni requiete bibentes
  Pocula, quæ refero, practica noſtra docet.
Obſtructas reſerant ſorbilla calentia venas,
  Et, velut elixir, viſcera noſtra beant.
Factitios inter non Italus incola potus
  Utiliorem iſtâ ſorbitione bibit.
Nos pro deliciis, noſtrive libidine guſtus
  Sorbentes variis exhilaramur aquis.
Hæc per marmoreos eſt purificata meatus;

Illaque

Illaque odorìferâ conditione flagrat.
Semine, vel nucleis, vel ſucco hæc mixta, ſed Indus
Pocula cuncta calix utilitate præit.
Fruſtula nunc Gadibus, vel Ulyſipone vehuntur,
Ipſaque Sinenſi germina nata ſolo.
Potio nobilibus primùm decreta labellis,
Quantùm plebejæ ſorbitionis habet!
Hanc Coquus, ardentem dum ſtat fumoſus ad ollam
Accipit, hanc Mulier, quæ cuba purgat humum.
Hanc Cerdo, tenſis quem ſulcat plurima filis
Linea, vel lotâ non abitura manu.
Hanc omnes, quos feſta dies facit unica Cives,
Sed negat hos Cives multa operoſa dies.
Videris id generis Chocolatâ impenſiùs uti,
Non ſecus ac cicerum mellea jura forent.
Solum dulcorem, & ſpumas laudare globoſas,
Et guſtum falſis ore probare notis.
De ſiliquis Indis compactus creditur humor,
Et ſunt, quas Natus prodigus eſuriit.
Sacchaream poſuere fecem; quæ fuſca rubeſcit,
Atque alvum laxâ dexteritate juvat.
Nullus aromatico de pulvere ſpiritus exit,
Et nil, quod ſapiat critica naris habet.
Aurea balſamicis non intrat virgula ſuccis,
Uſque per unciolas, quam jubet ire calor.
Falſa ſed arentem muſco concreta juvarunt,
Forſan inexpertam pellicitura gulam.
Quam facilè eſt errare gulam! niſi videris intus,
Sæpe poteſt potus fallere, ſæpe cibus.
Italus inventum Mercator adulterat Indum,
Italus hinc trochilus vilior eſſe ſolet.
Non dolus eſt, ſed cauſa rei penuria, carô
Quam pretio ad noſtras India mittit aquas.
Quod pretioſius eſt, ſuppletur aromate, vili
Frugere (ſi verum publica fama refert).

Hordea

Hordea miſceret ſi Paſtillarius, eſſet
Proſperior noſtris fortè medela malis.
Quare in Nobilium mos eſt lepidiſſimus aulis
Pro potu hôc, Famulis hæc dare jura ſuis,
Ut ſcitis, facta eſt Chocolatæ tertia claſſis;
Eſt varia ad varios congrua facta Viros.
Optima prima Viris ponatur equeſtribus, atque
Civibus, in pretio quos mage Domnus habet.
Cætera deſumat civilis Turba ſecundam,
Quam Dominus potu conſociare negat.
Et quia ſacra jubet devotio ferre cucullis;
Ferte; dabit vobis tertia claſſis opem.
Ferte bonum cyathum, reverenti aſſiſtite vultu;
Diſcit enim ignaram Sanctus habere gulam.
Hanc legem edocti, diſcurſant unus, & alter
Servorum, calidis undulat aula ſcyphis.
Hic fert, ille refert; eſt nigra corona labellis
De calice, & madidat nigra ſaliva ſolum.
Sat puto deſcripſi quæ veſtigatis, Amici,
Vos apud Hiſtoricos quærite plura novos,
Quidquid ab ore meo potuiſtis diſcere, lætor,
Clariùs exemplo dicta probare volo.
Sic igitur fumans ſorbetur ſpumeus humor,
Pharmaca guttatim ſic mea labra trahunt.
Præbibo, ſit veſtræ, precor, hæc præſaga ſalutis
Potio, ſit cordis teſſera fida mei.
C. Reddendæ pro more vices. Tibi vaſcula, Maddi,
Ad te quæ miſit levia, picta Ligur.
Nos de ſpumifero repleta ſacramus aheno,
Quo tibi concedant Neſtoris altra dies.
Sorbile deſcriptum graphicè, nectarque benigno
More propinatum eſt, duplici honore faves.
Quidquid agis, quidquid recitas, inſtructio noſtra eſt,
Eloquio, exemplo, doctor es, ore, manu.
Quàm priùs urbano placeat dimittere vultu,

Quod

Quod petit, hoc ſupereſt, obſequioſa Cohors.
Potio dic, utrum frangat jejunia? *M.* Lis eſt;
Dum Cathedræ crocitant, abſque timore bibo.
C. Quot bibimus guttas ſpumantes, Carole, grates
Solvimus unanimi tot tibi corde. Vale.

IN LODE

DEL SIG. CARLO MARIA MAGGI.

SONETTO.

CArlo, fregio di Pindo, onor di Clio;
Tu ſai, ch' io già ne l'età mia più molle
Feci una ſcorſa in ſu l'Aonio colle,
E'l labbro attinſi in quel Nettareo Rio;

Quindi cantai, per fin che al genio mio
Preſtar eſtri canori Apollo volle:
Ora che ſtagna il ſangue, e più non bolle,
Ei m'abbandona in taciturn' obblio.

Nè perciò ſia ragion, che ſtrano ſembre
A me, ſe l'età mia mi fà l'oltraggio,
Infievolendo al pari, e ſpirti, e membre;

Ma non così, ch' io non ti renda omaggio:
Che ciò, ch' in altri è languido Dicembre,
Fioriſce in te, perchè s'eterna in Maggio.

Il Signor N. N. dopo conoſciuto di viſta il Signor Segretario

CARLO MARIA MAGGI,

Gl' invia il preſente

SONETTO.

COn invidia di Grecia, anzi del Mondo,
L'Italo Cielo i voſtri carmi onora,
E di Pindo a le cime oggi v'adora
De le Muſe lo ſtuol Febo ſecondo.

Quel voſtro dir si dolce, e si facondo,
Che le piaghe d'un Dio ſovente infiora,
Delizie porta a l'innocente Aurora,
Ch' ebbe del Sole eterno il ſen fecondo.

Onde infocato da un immenſo ardore
D'udirvi, e di vedervi, io diſſi poi:
Venero i carmi aſſai, ma più l'Autore.

E quella fama, che correa fra noi,
Benchè ſoglia ſovente eſſer maggiore,
E' grande sì, ma aſſai minor di voi.

Al

Al Signor Segretario

CARLO MARIA MAGGI.

SONETTO.

CH' io v' ami, Carlo mio, non è ſtupore;
Che motivi ben grandi a me ne date;
Ma ch' io meritar poſſa il voſtro amore,
A degna ambizion voi m' innalzate.

Come puote annidarſi in sì gran Core,
D'amar Uomo sì vil tanta umiltate?
E pur (vantar mi vo ſenza roſſore
De le fortune mie) ſo, che m'amate.

Per calcar di Virtute il bel ſentiero
Ignoto, già voſtra Virtù m'è ſcorta;
Ma di ben imitarvi io mai non ſpero.

Pur tanta gioja il voſtro amor m'apporta,
Che tra gli ſpeſſi affanni un ſol penſiero,
Che a voi ſen voli, il mio dolor conforta.

Manibus Optimi Viri

CAROLI MARIÆ MADDII,

Clariſſimi Philoſophi, & Poetæ præſtantiſſimi.

ELEGIA

A Mariâ Helenâ Luſinianâ, Januenſi

Recitata Mediolani, in celebri Borromæorum Domo, ubi de laudibus doctiſſimi Viri acta fuit inſignis Academia.

Magni juſtitiam luctu teſtata doloris
  Abjectâ vellet Muſa ſilere chely.
Odit cura gravis cantum: malè lumine Vatis
  Extincto, tenuis tentat avena modos.
Sed merito laudes poſcente, injuſta ſilendo
  Quæ foret, officium Muſa profeſſa canit.
Excellit vitâ Vir mente, & pectore magnus,
  Mente colens ſophiam, pectore, jura, Deum;
Hinc illi nitor ingenii, prudentia ſimplex,
  Recti amor, & nullo munere victa fides.
Grata per hunc placuit, ſed pura à labe Poeſis,
  Et didicit cultis ſcena juvare jocis.
Addidit his meritis præclara modeſtia lumen,
  Quæ magis in magno pectore pulcra micat.

Se

Se patriæ Populis, Cœlo ſic ille probavit
  Doctrinâ, eloquio, moribus, arte metri.
Nec diſpar vitæ fuit exitus. Inclyta clauſit
  Egregios pulcro gloria fine dies.
Jam totum febris pervaſerat ignea corpus,
  Sed mens quaſſato corpore firma fuit.
Non ceſſit morbo placidi conſtantia cordis;
  Quin nituit vultu pectoris alta quies.
Curſor ut optatam gaudet contingere metam,
  Geſtit & in portum flectere Nauta ratem:
Sic metæ Carolus prævertit gaudia votis,
  Lætus ut extremum ſenſit adeſſe diem.
Quin vetuit plorare ſuos: vix paruit illi
  Se cohibens veritus tam pia juſſa dolor.
Nec nos flere decet; nam laude ſuperſtite Fatis,
  Quod fuerat pietas, incipit eſſe pudor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EXCELLENTISSIMI VATIS
CAROLI MARIÆ
MADDII
MISCELLANEA POESIS.

JESUS PUER
In antro Bethlemitico à Magis adoratus

ELEGIA:

EMpyrei Muſæ, per quas moti Ætheris orbes
  Efficiunt dulces, mente agitante, modos;
Mentes proximiùs divino à Sole micantes,
  Per quas auctoris laudibus aſtra ſonant;
Vos hominum tutela vigil, vos Numine miſſi,
  In noſtro canitis pectore ſenſa Dei.
Sparſum Judæas, Jeſu naſcente per auras,
  Auribus & noſtris nunc renovate melos.
Numinis en nati moriens reminiſcitur annus;
  Carmina plauſurus diſcere digna velim.
Rex Regum acceptus ſtudiis regalibus eſto,
  Ut tribus acceptus Regibus ante fuit.
Dicite, ut ante Magos vos ad præſepe vocaſtis;
  Unus ut e vobis ſidere fecit iter.
Dicite, quid Regum dixerunt oſcula Nato,
  Quæ in Regum impreſſit pectore ſenſa Puer,
Divinos ſenſus cœleſtibus edite metris:
  Veſtra ego, quo poſſum carmine, dicta ſequor;
Horrebat torpens hyemali frigore Cœlum,
  Stareque concreto ſidera viſa polo.
Non ideò Regum torpebat cura Magorum,
  Sueta à ſidereis diſcere fata notis.
Stabant intenti Cœlo, velut abdita nimbo
  Cum Nautæ expectant conſcia ſigna viæ.
Sic ſpectat gelidis ignavus Paſtor in auris,

Ordi-

Ordine quo volitent agmina tarda gruum:
Quando ſuſpenſis effulſit in Æthere lumen,
Quod non ante ſolens Ætheris hoſpes erat.
Mirantur taciti, ſed mentibus aſtra rogantes,
Quæ Terris hæc lux advena monſtra ferat.
Tunc Mens, quâ regitur lumen, ſic fata, repentè
Regum majori lumine corda replet.
Conſilium fati quid jam ſcitamini ab aſtris?
Rex fati in veſtros ſe dedit ecce ſinus.
Æthere deſcendens in aperto naſcitur antro,
Vagituque omnes ad ſua dona vocat.
A Cœlo pacem ſua regna volentibus affert.
Se Mundo, & morti, ſe dabit ipſe Viris.
En jacet in fœno, quò ſint fidentia vota:
En majeſtatem velat amore Puer.
Numinis ad cunas, hac luce præibo, venite:
Quiſque ferat cor amans, accipiatque Deum.
Mirantur Reges, nempe ut mirantur Amantes,
Quos magis in flammas extaſis illa rapit.
Conveniunt, iter expediunt, ſunt omnia præſtò;
Omnia nam ſolers expediebat Amor.
Non illos regni retinet, non cura ſalutis,
Non longæ hôc anni tempore damna viæ.
Diſcurrunt Famuli, ſua quiſque ad munia velox,
Is petit, ille affert, hic ſtruit, iſte ligat.
Ornamenta viæ cophanos, tentoria, veſtes,
Vaſa, aurum, phaleras, plauſtra, jumenta parant,
Sic mellis dum fervet opus, circumvolat omnis
Alitis exiguæ rus populata cohors.
Hæc violam, fert illa roſam, gerit iſta liguſtrum,
Et tota à vario gramine Flora venit.
Hæc arcet fucos, loculos hæc ſedula purgat,
Hæc intus ceras inſtruit, illa favos.
Murmure feſtinos oſtendit Turba labores,
Dulcis & à ſtudio noſcitur eſſe labor.

Jam

Jam Reges in equis ſub ductu ſideris ibant,
Sed magis interno lumine ducit Amor.
Solabantur iter de Jeſu multa loquentes,
Mentibus & Regum multa loquente Deo.
Et linguam, & veſtes Populi mirantur euntum,
Et mira eſt Regum ſplendida gaza trium.
Hi nihil attendunt, quamvis nova multa viderent;
Namque animos toto Numine Numen habet.
Perveniunt tandem ſcelerati Herodis ad urbem.
It fama, & replet plurima turba vias.
Fingit de exoticis mendacia multa popellus:
Rex vocat, & quærit, quæ nova cauſa viæ?
Reſpondent, natum Regem prope degere Gentis,
Ad quem ſe monitos cœlitus, ire pios.
Rivalem metuens, meditatum immane Tyrannus
Celat, & in reditu viſa referre jubet.
Stella priùs radios ab iniquâ averterat aulâ,
Ingreſſis urbem texerat illa jubar.
Occupat egreſſis dubium ſolata viarum.
Qui lucem Domini quæris, abeſto reis.
Viſa propinquantes recreare ſuavior aura,
Notitiam auctoris ſpargere læta ſui.
Viſa & avis Jeſum gratari garrula ſylvis,
Atque animam Pueri flos imitatur olens.
Solvebatur hyems à Sole in Virgine nato,
Et facies Pueri primula Veris erat.
Paſtores natum grati per prata canebant:
Auditis properat laudibus agmen amans.
Fortè loquax ſummâ repetebat pſittacus orno
Paſtorum auditos læta per arva modos.
Ite, ait, ad natam mortalibus ite ſalutem:
Sc cupit in Gentes ſpargere nata ſalus.
En divinus Amor puerili in corpore ludit;
Senſibus ut placeat, pulchrior eſſe nequit.
Sic avis invitat, Chriſtique fit Angelus orti,

Sic etiam volucris carmine fama volat.
Cœlo ſpargebat flores Aurora ſereno,
Poſt alba incipiens lilia ferre roſas.
Numinis at nati radiis percuſſa, minorem
Erubuit Terris ducere faſſa diem.
Tunc Magos ducens, quaſi metâ lætus adeptâ,
Clarior in tecto paupere ſedit apex.
Eſt Faber in caulâ, nec Fabro digna ſupellex,
Et pauper præbens ubera Virgo Deo.
Poplite ſed flexo circùm, ſparſique per auras
Aligeri Juvenes carmina feſta canunt.
Gloria in excelſis ſit pax lætiſſima Terris,
Mulcens juſtorum pectora carmen erat.
Deſiliunt ab equis Reges, nec honora morantur
Officia adſtantum, ſed pietate ruunt.
Jam procumbentes humanum Numen adorant,
Et Puero lacrymis oſcula mixta ferunt.
Oſcula dant pedibus, facient ubi vulnera clavi,
Stabit ubi in lacrymis Magdala merſa ſuis.
Oſcula, quæ figunt, ſunt dulcia vulnera cordi,
Vulnera pro Populis oſcula pacis erunt.
Solentur, divine Puer, fida oſcula Regum,
Oſculo ab infido quod tibi vulnus erit.
Æthereæ mentes petii caneretis amores,
Quos Jeſu, & Regum corda locuta ſimul.
Audio vos, fateor, quid magnum, & dulce canentes,
Sed magno, & dulci hôc eſt mea Muſa minor.
Præterea ignorant ſacras mea pectora flammas,
Qui facit, hæc novit dicere ſolus Amor.
Attamen, & tenues conentur grandia vires,
In laudes veniet Numinis aura ſuas.
Obtutus Pueri, qui Tartara dira beaſſet,
Hæc, credo, in Regum pectora dicta tulit.
Oh quos æternùm dilexi immenſus amando,
Oh quos, ut ſervem, jam moriturus amo.

En

En magis, ut veſtrum fieret, Verbum caro factum eſt;
Sic fuit in vobis dulce habitare Deo.
Accipite humanum, veſtræ ne obſiſtite carni:
Juncta Deo placeat, quæ caro ſola placet.
En venio caræ laturus gaudia Genti,
Totus ero in membris plaga, dolorque meis.
Gaudia pro vobis, pro me mala cuncta parantur:
Lætitiæ fœnus lugubre funus erit.
Me redamate precor, mors hac mercede repenſa eſt;
Hoc ſitio: iſta ſitis languor Amantis erit.
Me ſimilem vobis natura, & imago fatetur:
Gratia vos ſimiles efficit una mihi.
Mors petit humanam reparare in ſanguine vitam:
Anne iterum in mortem ſtultus abibit homo?
Me redamate Homines, & amando beate beantem,
Numen amatori reddet amando vices.
Eſſe meos placeat; magnum hoc reputate, quòd eſtis
Vota Dei, & dirum ſpernere vota Dei.
Sed vos oh Reges redamare flagrantiùs opto,
Mecum nobilitas major amare magis.
Per vos decrevi mea lux mage luceat orbi.
Gaudete, & lumen luminis eſſe mei.
Veniſtis. Veſtro hôc, & quod non deſinet ævo,
Quanta eſt Immenſi gratia, gratus ero.
Vos magnos faciam cœleſtis amoris in aulâ,
Atque in corde dabo dulcia regna meo.
His reſpondebant lacrymæ, & ſuſpiria Regum,
Dum concepta Dei ſenſa coquebat amor.
Non reſponſa foris reddentum voce ſonabant,
Nam Deus auditor pectoris intus erat.
Internas dictat voces vox intima Patris:
Et fatuum eſt Verbo, non niſi verba dare.
Hoc Reges didicere, novo fulgore beati,
Quando dedere animi munera ſigna ſui.
Hoc reduces docuere ſuas cum ſanguine gentes;

Martyriique oſtro purpura tincta fuit;
Hæc pia vagitu dictabat ſenſa Magiſter,
In cathedram cunas verterat ille ſuas.
Et teneram extendens pauliſper in indice dextram,
Finxit eam, quam poſt ſuſtulit ipſe, crucem.
Dimiſit lætos; & eorum in pectore dixit:
Veras delicias crux mea ſola dabit.
Hanc ego ab axe Gigas, celer exultando petiri:
Hæc una in veſtrum eſt pendula ſtella caput.
Hæc ſit lux vobis, quæ Regum in fronte nitebit:
Compactam ex gemmis hanc diadema feret.
Sic rediere Duces, claudentes pectore Jeſum;
Sed clauſi in Jeſu corde ſtetere Duces.
Felix, cui nunquam de corde recedit Jeſus!
Felix, qui Jeſum fert ubicumque ſuum!

JO. BAPTISTÆ MADDIO, SOC. JESU,

Filio ſuo, Rhetoricam diſcenti.

Verbi divini eloquentia è Crucis cathedrâ proponitur.

EPIGRAMMA:

QUi colis eloquii dulcem meditantibus artem;
Dulcibus ut diſcas flectere corda modis,
Huc animum vertens, divam meditare ſuadam,
Quâ Verbum æternum de Cruce corda movet.
Humani Generis cauſam ſic morte perorat,
Gratiæ ab occiſo Rhetore diſce pati.

Ad

Ad eundem,

Mittens librum ſuorum Carminum.

EPIGRAMMA.

Mitto meos tandem, quos poſcis, Nate, libellos,
  Quòd non mittebam, culpa pudoris erat.
Nam, præter tenuem conantem grandia Mentem,
  De ſacris animo ſonte profanus ago.
Sed jam vulgato cùm jacta ſit alea libro,
  Nil juvat in Populum ſparſa negare tibi.
Quin tibi, Nate, meum pariter cui dedecus obſtat,
  Eſt quoque dedecoris cauſa tenenda mei.
Probrum ferto animo communis nominis æquo.
  Pulcher hic eſto genis à pietate rubor.
Hæc nota (ne timeas) humili ſi mente feramus,
  Laudabit meliùs, quam mea Muſa, Deum.
Gloria tota Deo; nos nulla à Gentibus ornet;
  Qui cauſam æternam judicat, ille probet.

AMOR CHRISTI IN SACRAMENTO,

ELEGIOLA.

Eſca replens vacuos, ſatura mea viſcera Jeſu,
  Deſipit omne mihi, tu mihi ſolc ſapis.
Mortali anticipas divæ immortalia menſæ;
  Cum Jeſu dulce eſt vivere, dulce mori.
Ah non eſt nobis alibi quærenda voluptas!
  Quid pote divino dulcius eſſe cibo?
Guſtate, & ſapiet; ſanô guſtate palato,

Æger ne guſtus dira venena probet.
Et claudi, & cæci Domino à clemente vocantur:
Conditio miſeros nulla retardat inops.
Nutriat ut Gentem Cœlo, Verbum caro factum eſt:
Tu caro, quid fies Numine paſta, vides.
Invitatus Homo comedat, manducet amanter:
Æternùm æterno nectare plenus erit.
Non potis Omnipotens tibi quicquã apponere majus,
Faſtidire tamen vir ſcelerate potes.
Oh quantùm vacuis æternâ in morte dolendum,
Divinâ in menſâ non habuiſſe famem.

Ad Filium ſuum, Regularis Obſervantiæ Profeſſorem, Theologiam diſcentem, Natalis D. N. feſto recurrente.

ELEGIOLA.

OH qui flexanimæ diſcis præcepta ſuadæ,
Ut Jeſum inſinues Gentibus artis ope:
Huc, ubi Bethlemi Muſis cœleſtibus antrum
Dulce ſonat, vacuâ protinus aure veni.
Audi munifico canitur, quæ gloria Cœlo,
Quæve voluntati pax venit alma bonæ.
Quæ Verbi æterni Sapientia naſcitur infans,
Fando intus cauſam maximi Amoris agit.
Verbum namque caro factum carni alta locutum
Sic ſuadet proli carnis, & eſſe Dei.
Hæc tu ſuaſurus cape toto corde Magiſtrum,
Et corde, & labro (ſe dabit ille) cape.
Sed cape Alumnus amans. Totũ eſt dictamen Amoris:
Solus dictamen diſcit amoris amor.

Dulce

Dulce tuum pectus fiet Præſepe Puello ;
Hac ille optatâ ſede jacebit amans.
Quamvis ipſe hoſpes ſit gloria pectoris, ultro
De ſibi recluſo pectore gratus erit.
Ille ſuavis aget grates, refereтque ſuavis,
Ut tibi de eloquii nectare flumen eat.

Genitori ſuo Crucem ſancti Sepulchri donaturo.

EPIGRAMMA.

QUòd me Equitē Genitor ſacri meditere Sepulchri,
Semper de tanto munere gratus ero.
Militiam Chriſti victoria certa ſequetur,
Hæc Homini vitam Numinis urna parit.
Cunæ nos Terris, urna hæc nos educat Aſtris:
Es mihi tu vitam ſic in utramque Parens.

In idem Argumentum.

EPIGRAMMA.

OH Servatoris noſtri Crux alma ſepulti:
Hæc auctore lubens ſigna Parente feram.
Tolle Crucem venture tuam dux clamat Jeſus;
Reſpondebo Patris munere: tollo tuam.

* * * *
* * *

OCTO FLUMINA
IN FUNERE PHILIPPI IV. HISPANIARUM REGIS.

Parana, vulgò *Rio de la Plata*.

ME argentei fluvium Rex aureus ante beabat;
Ferrea ſed noſtras Parca ſitivit opes.

Indus.

Occaſum Heſperii Solis fleat Indus ab ortu:
Impleat hæc totum nox lacrymanda diem.

Bætis.

Occiduo narranda Mari fert funera Bætis:
Regnorum Atlantem lugeat alter Atlas.

Duria.

Portet ad extremas Gades hanc Duria mortem;
Imò, & *plus ultra* permeet iſte dolor.

Tagus.

Jam Tagus auriferis fruſtra ſe jactat arenis;
Aurea facturus *ſæcla Philippus* obit.

Iberus ad Cataloniam.

Vindicis arma canat, dum funera plorat Iberus:
Heroas cantat Gloria, luget Amor.

Padus.

Populi ad Eridanum Phaetontis funera deflent;
Eridiani Populi Rege cadente fleant.

Liris in Lucanis.

Belliger hunc Liris, ſed amœnus flumine ſenſit;
Pellere bello hoſtes, pace beare ſuos.

Mit-

Mittens hoc Fluminum vectigal ad Patrem Rhetoricæ Magiſtrum, in Collegio Braydenſi, Societ. Jeſu.

EPIGRAMMA.

Ultima cùm magnus complerit fata *Philippus*;
  Jam veſtigalis funera Mundus adit.
Mittunt ad lacrymas Tagus, Indus, Duria, Bætis,
  Parana, Eridanus, Liris, Iberus aquas.
Auſtriacum deflent tumidi, quaſi repleat Auſter,
  Cùm liquat excelſas Vere tepente nives.
Quiſque ſuam cineri fluvius jam deſtinat urnam,
  Et celer extremis fletibus unda venit.
Sed quoque ne veniat miſcens oblivia Lethe,
  His ego Caſtalii miſceo fontis aquas.
Hos Pindi latices gratus tibi mittit Alumnus:
  Sic noſtri redeunt Rivuli ad Oceanum.

Solari Horologio inſcriptio.

Una umbroſa diem concedit linea. Fruſtra
  Mille juvant, unum præteris, ille nocet.

Vel.

Dum quota ſit quæris, cernis quota tranſiit hora?
  Ne reliquum pereat, jam periiſſe puta.

Vel.

Nos ſemper morimur, multos tamen expetis annos;
  Stulte quid exoptas, ut moriare diù?

Turris cum Horologio Solari.

INSCRIPTIONES.

TUrris in Aſtra viam tentavit Perſica quondam:
 Ipſas Aſtrorum continet iſta vias.

Vel.

Turrem agit in Cœlum Nembroth: melioribus auſis
 Monſtro ego Cœlorum conſcia Solis iter.

Vel.

Non pulchram Danaem Turris, ſed Sidera ſervat,
 Nam magis hæc noſtro viſa placere Jovi.

Ob ſuaviſſimum munus Fragorum, miſſum ab Amico ſuo.

ELEGIOLA.

VIr ſummus mihi mittis humi naſcentia Fraga,
 Summa ut ſuſpiciam Sidera natus humi.
Dulcia Fraga Viris, jucunda tuentibus Aſtra,
 Dummodo ſpes Cœli pectora dulcis alat.
Me Deus expectat cari pietate Parentis,
 Horrendo expectat Numine juſtitiæ.
Hinc ſpes, inde metus; ſed triſti mente recurrens,
 Me potiùs cogit culpa rigere metu.
Judicis ira Deum terret, Patris ipſe videtur
 Perfidiæ pœnas poſcere læſus amor.
Sed Deus ipſe monet, qui nollet perdere Judex,
 Ut properem lacrymis fretus adire Patrem.
Quin monitum tam dulce ſequar, ſerverque fruendo:

Coram

Coram tam caro dulce dolere Patre;
Judicis humani peccat qui tentat amores:
Judex ſe flecti gaudet amore Deus.
Hos mihi dictarunt caros tua munera ſenſus:
Oh quàm miſiſti dulcia Fraga mihi!

Magiſtro ſuo, Rhetoricam docenti, dum de laudibus D. IGNATII LOYOLÆ AGIT.

EPIGRAMMA.

VEſtra ſequor dictata infans, & paupere Muſâ,
Queis laudem Ignatii veſtra ſuada docet.
Laudibus his Patrem generoſus Filius ornas:
Facunda hæc Nati laudat imago Patrem.
Ægrè imitor laudes, quas ſanctè imitatis amando.
Vera Beatorum laus imitantis amor.

In idem Argumentum.

EPIGRAMMA.

VIxit amore pio non ſolùm Ignatius ardens,
Sed ſancti in Populos ſparſit amoris opes.
Diffudit ſacros exemplo, & vocibus ignes,
Excivit ſcriptis, unde cientur adhuc.
Vivis adhuc Cœlo, & Terris æquè inclytus Heros;
Magnus ibi quòd amas, hic quòd amare doces.

HUMANA INQUIETUDO.

CARMEN.

TU ne voverca mihi fraudes Natura paraſti,
Virtutem impediens dumis,mel turpibus addens,
Mente ad honeſta vocans, ad noxam ſenſibus urgens?
Anne gerenda mihi ſemper fera prælia mecum,
Diſſidioque mei pacem per bella tuebor?
Per bona nempe malus, claruſque per aſpera fiam,
Probrum inter flores, decus inter ſaxa legendo?
Membris anne meis ideò lex altera fixa eſt,
Ut leges ſervans juſto mea viſcera perdam?
Tanta mihi imponis nondum experientibus annis,
Et contra impoſitas obſtas acerrima leges?
Quæſo, Auditores, tumidâ exundantibus irâ
Parcite verſiculis: facit indignatio metrum.
Dum ſic indignor meritò, Nemeſique fatigor,
Ecce ſubit feſſum demulcens anxia ſomnus,
Humanæ obducens oculis velamine ſcenæ,
Fabula quo rerum tot vitæ angoribus acta
Tantiſper ceſſet, vireſque recolligat Actor.
Sic ſopor immenſis facit alta ſilentia curis,
Et vitam recreat placidiſſima mortis imago.

Laus noſtra ad auctorem Deum referenda.

ELEGIA.

EST laudis munus Virtutem accendere dictis;
Quam laudat, ſi non nutriat, ipſa perit.
Concidit at Virtus, niſi pulchra modeſtia fulcit:

Hôc

Hôc incremento proficit omne decus:
In vitium laudat, qui reddit laude ſuperbum,
Sic bonus a laudis carmine pravus abit.
Ergo, quem laudas, faciendus laude modeſtus;
Ut quò ſit major, ſit minor ipſe ſibi.
Virtutem oſtendas tribui divinitùs omnem,
Quod Vir Virtuti conferat, eſſe parùm.
Offerri nobis ſpecies à Numine primas,
Et libertatem ſpiritu amoris agi.
Tunc magis oſtendes Virtutis munere, nullum
Verius à vero poſſe venire Jove.
Maxima ſic Domini cùm ſentit munera Servus,
Sentit, nil meritis ſordibus illa dari.
Sic fiunt grati, ſequiturque modeſtia gratos,
Gratia ſiç meritum faſſa, modeſta rubet.
Eſt humile officium grati, qui accepta revolvit,
Pauperiem memorat, nempe eguiſſe memor.
Gloria Virtutis rerum pulcherrima fulget,
Sed decet Auctori fulgeat illa ſuo.
Hoc ſatis eſt magnum, ſumus hôc impunè ſuperbi,
Laudari in noſtro pulvere velle Deum.

In laudem Mortis.

EX PALLADE.

EPIGRAMMA.

CORpus ſtyx animi, carcer, violentia, fatum,
Vincula, nox, morbus, pœna, procella, dolor.
His velut è vinclis tandem mens noſtra ſoluta,
Gaudet ad auctorem pura redire Jovem.

MA-

MARIA VIRGO
Phoſphoro comparata.

EPIGRAMMA.

PHoſphorus extremâ tandem de nocte triumphat;
Tunc primùm in riſus floſculus omnis hiat.
Ecce affert Virgo alma diem, Mundumque ſerenat;
Humanum floret ſpeque, fideque Genus.
Phoſphorus extinguit fatales Ætheris iras,
Temperat & radiis fata inimica ſuis.
Virgo ſolet nobis meritas avertere clades,
Detrahit & genito fulmina juſta Jovi.
Angelus illa movet felici lumina Cœlo,
Angelica in noſtrâ Virgine mens, & amor.
Phoſphorus aurorâ, ſerò fit Veſperus idem.
Utraque ſic anceps tempora Sidus habet.
Lucem Virgo ferens mihi Phoſphorus ante fuiſti:
Tu quoque, cùm moriar, Veſperus eſto mihi.

Deus omnium inſpector.

EPIGRAMMA.

CUra Hominum quævis externo cognita ſenſu,
Fallit ſæpe Viros teſte peracta Viro.
Aſt intus quæcumque gerit ſibi nota voluntas,
Nulla Deum fallunt, teſte peracta Deo.

REV.

REV. PATRI BARTH. PUSTERLÆ,
E' Societ. Jeſu,

In locum mirabilem Platonis de Vitâ Æternâ.
In lib. de Republicâ primo.

ELEGIA.

NUtricem ſenibus ſpem dixit Pindarus olim,
Audaci viſus carmine mira loqui.
Nam potiùs miſerâ ſenium formidine friget,
Spem magis in calido corde juventa fovet.
Sed Plato laudavit dictum, quòd proxima Vitæ
Sentiat æternæ regna beata ſenex.
Sic tu, qui meritis tibi regna æterna paraſti,
Hac potes extremos ſpe recreare dies.
Emenſis portum ſic Nauta ſalutat ab undis,
Et fruitur viſo littore tutus amor.
Scilicet innocuos numeras feliciter annos,
Nulla dies, cujus non meminiſſe velis (*).
Dulce eſt præteritum, præſens tibi dulcius ævum,
Quo dulcem expectas ſpe, fide, amore Deum.
Sed mihi ſollicitos contraxit culpa timores,
Et mala tam læſo Judice cauſa Rei.
Creſcentes anni ſunt incrementa pavendi,
Ultima quò propior, me magis hora quatit.
Attamen in propriis tua gaudeo gaudia curis,
Spes tua nempe meos viſa levare metus.
Nos ſuprema vocant. Quòd ſperes optima, lætor,
Sed mihi cur timeam peſſima, Amice vides.
Jam votis propera Numen placare Clienti:

Hôc

(*) *Martial.*

Hôc amat officio ſe Deus ipſe coli:
Ah rape me tecum, quò te rapit inclyta Virtus:
Augebit concors gaudia ſumma Cliens.
Hæc non ambitio laudis, ſed cura ſalutis
In causâ cordis corde loquente canit.

NATO JESU.

EPIGRAMMA.

Ne nos majeſtas divini arceret Amoris,
En factus noſtrâ carne puellus Amor.
Jam mala noſtra dolens humanum Numen adibo:
Illa dolebit Homo, corriget illa Deus.
Se facit humanum, quo ſimus in Æthere Divi;
Vult miſer in noſtrâ ſorte beare ſuâ.
Tu Deus, ut noſter fias, Terræ aſpera ſumis:
Cur nolim, ut Cœlo perfruar, eſſe tuus?

Vitæ humanæ infelicitas.

EPIGRAMMA.

Stat ne æterna Viris hæc ilias alta malorum?
Dicite, quò tandem deſinet iſte labor?
Obturbant caſus, terit ætas, munia vexant,
Lis fugit, fallunt prædia, bella premunt.
Sortis opes, rumoris honor, vita obvia Morti,
Forma fugax, fallax gratia, fluxa fides.
Inficit,

Inficit, ardet, obeſt, appellat, deſerit, angit,
Morbus, amor, bonitas, Creditor, aula, domus.
Nos trahit ipſa dies, omnique occidimur horâ;
Ipſo, quo durat tempore, vita perit.
Eſt breve quidquid abit, qui computat, exiit, annos,
Eſt breve quod, quando dicitur eſſe, fuit.

Non eſt pax in Mundo.

EPIGRAMMA.

PAcem humana negant tam diro in turbine rerum?
Hanc à ſe ſolo vult Deus ipſe peti.
Sed qui deberent lacrymis placare Tonantem,
Impia cum læſo Numine bella gerunt.

Simus in Mundo, quaſi non ſimus,

EPIGRAMMA.

OPta aurum modicè, placidè linque, utere parcè;
Ne ſtet, quod cruciat, non placeat, quod abit.
Gratia, cenſus, honor, fallit, gravat, inflat habentem:
Quæ veniunt, ut eant, ſic habeam, ne habear.
Nulla fides rebus, quas ſors tibi congerit extra:
Stat, malè quodq; paras, ſtat, bene quodq; meres.
Res perit, angit amor, fugit ætas, gratia fallit:
Quiſque habet illa ſibi, quæ gerit ipſe ſibi.
Ver abit, alget hyems, coquit æſtas, mox ruit annus;
Arguitur Mundus, vel fugiendo nocens.

Hæc

Hæc bona non ſaturant, quamvis faſtidiat uſus:
Implebis ſolo pectoris alta Deo.

Vita Hominis infelix.

Ex Poſidip. lib. 1. c. 13.

ELEGIOLA.

QUam vitæ ingrediar ſemitam? domus anxia curis,
Ambitione flagrat Curia, lite Forum.
Arva labore gemunt, terrentque pericula Ponti;
Eſt Bellona ferox, pectora vexat Amor.
Luget inops, trepidat dives, ſors utraque triſtis;
Hinc ſtat dira Fames, obſidet inde Latro.
Divitiæ partæ fugiunt, quæſtuque fatigant;
Mandat paupertas turpia, pulchra vetat.
Non lecto Cælebs, non libertate Maritus
Gaudet, hic eſt natis, hic ſinè prole miſer.
Gratia nunc Regum fallit, nunc deſtruit ira,
Et quem non perdit regia, Turba premit.
Obtundunt ſuperos utrâque à ſorte querelæ:
Hic jacet obſcurus, nobilis ille ruit.
Lumine mentis adhuc caret infans, ſtulta juventus,
Vir premitur curis, ægra ſenecta dolet.
Quæ optata exurunt, tandem poſſeſſa nocebunt,
Falluntur potu qui doluere ſiti.
Otia faſtidit, pariterque negotia damnat
Mens Hominum, rebus ſemper iniqua ſuis.
Optima non nati ſors eſt, aut illico rapti:
Se longo ſentit vita dolore mori.

DEUS AMANS.

Ex Anacr. fab. deductum.

EPIGRAMMA.

Me compellat Amor, durus quaſi provocet hoſtis;
Præcipiti ingratam carpo timore fugam.
Ille vocat rurſus, monet, allicit, increpat, urget,
Et cupiens pacem tradere, bella gerit.
In me tela jacit: conſumptis denique telis,
Se jacit in noſtros ipſa ſagitta ſinus.
„Fabula, de falſo quam Muſa Cupidine finxit,
„De ſe dante mihi Numine vera canit.
„Munificos Jeſu quis non miretur amores?
„Ut ſuus eſſe velim, ſe facit ipſe meum.
„Hoc facit, ut redamem, ſed ego crudelis Amanti
Ingreſſo præbens pectora, corda nego.

Mors quotidie meditanda.

ELEGIA.

Sanctiùs inſtituit vitam meditatiò Mortis;
Ut meliùs diſcas vivere, diſce mori.
Sed licèt exemplo moneat Libitina frequenti,
Fabula non nobis iſta videtur agi.
Aſſiduus mœſtâ ſatagit Pollinctor in Urbe,
Occurrunt toto funera ducta foro.
Jam triſti officio Manes lugemus amicos,
Jam jubet affinis ſolvere juſta cinis.

Hic

Hic magnas miſeramur opes, hic læta juventæ
Tempora, queis renuit parcere Parca ferox.
Dira vel invitis inſtant ſpectacula Turbis,
Communis fati fit violenta fides.
Attamen obſtamus, mentemque avertimus ipſi;
Et properat ſpecies quiſque fugare nigras.
Laſcivit petulans poſito Veſpillo feretro,
Et miſcet lacrymis præfica ſalſa, jocos.
Hoc natura facit, finem averſata ſupremum;
Horrorem attonitis Mentibus ipſa levat.
Hæc renuit reputans inimicum agnoſcere fatum,
Teſtis & interitus abnuit eſſe ſui.
Hæc ſaltem minuit veluti diſtantia longè;
Sic omnes ſperant ultima ſera ſibi.
Sic omnes animo reputant longinqua remiſſo,
Et jubet attentam ferre, quod inſtat, opem.
Quotidie in nobis ſenſus duratur ab uſu;
Diſcimus aſſiduè viſa videre minùs.
Hoc natura facit, magis hoc facit Impius horrens;
Quem Mors æternâ Morte timenda manet,
Vindicis hic quærit mox flenda oblivia Lethi,
Quodve negare nequit, non meminiſſe cupit.
Hic ſtultè ſperat fieri dulcedine Culpæ,
Ne lædant ſenſus Mortis amara ſuos.
Sed licèt obtundat ſenſum temulenta Voluptas,
Objectæ ſemper Mortis amaror adeſt.
Interdum vincat licèt ipſa Libido timorem,
Ad flagrum interius Culpa ſubinde redit.
Et niſi jam redeat, reſtat ſpes nulla ſalutis:
Proxima jam languens fata veternus habet.
Ergo obverſantem cicuret meditatio Mortem:
Perceptum minuunt provida ſenſa malum.
Mors prævîſa minùs perimit: ſæva illa Sceleſtis,
Qui non ſenſerunt ante, inopina venit.

Inſcriptiones, quæ apponi debebant pictis Tabulis, exprimentibus nonnulla Dominicæ Paſſioni Myſteria, ut videre eſt in Aulâ Excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis.

Jeſus orans in Horto.

Spinas, flagra, crucem, clavos meditabar in Horto;
Scito in deliciis iſta fuiſſe meis.
Admonet, ut vigilent, Socios: ipſe orat in Horto;
Tuque in deliciis recta tuere vigil.
Filius oravit, ſed Patris facta voluntas.
Judex, quod debes proſpice, non quod amas.

Ad Columnam.

Plaude triumphali Tellus ſervata Columnæ;
Atria Juſtitiæ fulciet illa tuæ.

Corona ex Spinis.

JUſtitiæ Patri peperit Terra impia ſentes:
Non legit humano Juſtus in Orbe roſas.
Jam non flos Campi; Spinis concluditur Hortus:
Hunc niſi per Cordis vulnera carpet Amor.

Ad Clavos.

Mallens hic tundat, terebret mea pectora clavus:
Juſtius in duro pectore vulnus erit.
His clavis noſtræ compangitur area ſaluti;

Ne

Ne pereat, clavo figitur ipſe Faber.
Scis, cur clavus atrox legem tibi figat amoris?
Edicit Pietas, ut doleas, & ames.
Clavorum plauſus hæc dura tragœdia poſcit:
Egit Amor primas, claude ſuprema Dolor.
Reddendæ Patriæ legem mihi figite clavi:
Sic ſint exilii fata refixa mei.

Ad Crucem.

Victima Juſtitiæ moritur Deus. Ecce quid actum
Victima Juſtitiæ non morietur Homo!

Maria occurrens Chriſto, ferenti Crucem.

Occurrit Mater raptato ad funera Chriſto;
Eſt hinc inde ardor: maximus ergo dolor.
Virgo videt cruce defeſſum, videt ille dolentem:
Mens reputa, pietas concipe, fare dolor.
Et Matri, & Chriſto æquales auxere dolores,
Cauſa, pudor, feritas, gratia, ſanguis, amor.

IN OBITU PHILIPPI IV. HISPANIARUM REGIS.

EPIGRAMMA.

Rex perit: Inſubrum pacem Mors invida terret,
Jam jam viſa oleas falce ſecare novas.
Scilicet hunc Orbem Terræ nutare neceſſe eſt,
Maxima dum moriens pondera ponit Atlas.
Compoſitis ſed firma Deus dabit otia rebus,

Et

Et parcet tanti perdere Regis opus:
Quæ mens terrenas agitaverat inclyta moles,
Addita Sidereis mitia fata reget.
Imprimet hæc Stellis longævæ pacis amores,
Ingenio faciet ſidera fauſta ſuo.
Saturnum Auſtriacum Terræ pax aurea ſenſit,
Hunc, & ab Æthereo ſentiet Orbe Jovem.

De beneficiorum reminiſcentiâ.

EPIGRAMMA.

Cùm bene quis fecit multis, malè gratia conſtat;
Quin meritus grates, odia ſæpe refert.
Nam bene qui accepit, vel reddere munera nolit,
Vel nequeat, dirus mordet utrinque pudor.
Ipſe animus magnus magis accepiſſe dolebit,
Viſus, ut accepit, dante fuiſſe minor.
Hunc bene promeriti renovat præſentia morſum.
Hinc bene promeriti debitor ora fugit.
Ne ſe quis ſperet facturum munere gratos,
Sed juvet, ut facto gaudeat ipſe ſuo.
Non ideò abſtineat multis quàcunque juvandi:
Se virtus propriis dotibus ipſa beat.
Tot videt ingratos Cœlum, tamen excubat illis;
Et licèt immemores, ſidera læta juvant.
Tu bonus ingratis exemplum Numinis imple,
Et probet auctorem mens imitata Deum.

AD

AD PECCATOREM.

EPIGRAMMA.

IN te Numen amans immenſo exundat amore,
Nec potes immenſo durus amore capi ?
Oh tua durities ! Æterni carceris ardor,
Eſt tamen hôc tanto crimine pœna minor.
Quamvis pœnarum pœna atrociſſima menti
Eſt ibi noſſe, ſuo quàm ſit iniqua Deo.
Quanta ibi Naturam torquet violentia noſtram!
Heu quantùm à proprio fine remota dolet!
Tunc odiſſe Deum quid ſit, ſentire coacta
Eſt, ſummo ſummi preſſa dolore mali.

Ambitioſus ſibi meditans Epitaphium Sepulchrali lapidi incidendum, à Poetâ crebris interrogationibus identidem interpellatur.

Ex Antholog. lib. 3. cap. 6.

EPIGRAMMA.

Eſt nomen mihi. Quid refert? Mihi patria. Quorſum hoc?
Inclyta Gens. Quid ſi Gens tua Turba fuit?
Maxima patravi. Quid ſi nec gloria geſtis?
Hic jaceo. Quis tu? Jam quibus iſta canis?
Quid curas Mundo de te dicenda relicto?
Judice nil curas geſta probanda Deo?

Forti-

Fortitudo vera quænam ſit?

EPIGRAMMA.

FOrtia qui faciat, pietas ſi viribus abſit,
Non erit hic fortis, ſed violentus erit.
Quòd Patriam, quòd Numen ames, occumbere pul-
Virtutis radix unica, ſanctus Amor. (chrum eſt:

Præparatio ad Mortem.

EPIGRAMMA.

ULtima fata ſonant vitam, quam quiſque peregit,
Dumque animus languens angitur, uſus agit.
Qui reliquum peragunt, peragunt vitæ ultima mores:
Sic ſis, ut mortis tempore & eſſe cupis.
Quid quod provideas in pugnæ tempora differs?
Serò, cùm ferrum cernitur, arma paras.
Ne tota obturbet, per vitam divide mortem,
Hanc vivus reputans carpe: erit inde minor.
Mors erit ad vitam, ſi mortem vita parabit.
Si vis, ut conſtent ultima, prima rege.

ELEGIA.

PUlchrè in Sympoſio Plato laudavit Amorem:
  Nos Amor hac ſolâ ſede docendus erat.
Hic ſedet alma fides, fugiunt mendacia menſas:
  Verum Baccus amat, falſo inimica Ceres.
Simplicitas Veneris Natum nutrire ſuevit:
  Hôc ſolo veſci lacte Cupîdo ſolet.
Non venit in pectus, quod ſubdolus obſtruit aſtus,
  Perfidiamque nigram candidus odit Amor.
Libera ſynceros paſcunt convivia mores,
  Cui ſapit alma fides, altè in amore ſapit.
Combibit omnis Amans, & ſunt convivia Amantum.
  Eſt horum ebrietas plenior eſſe ſimul.
Tam dulcem ambroſiam ſuperis non temperat Hebe,
  Nec credo tantum nectaris eſſe Jovi.
Vos amor invitat quam lautus! Adeſte vocati.
  Sat lautè accipiet quiſquis amando vocat.
Magnificus cœnam dat Amor; non ſportula ſordens,
  Sed rectis recto munere recta datur.
Non tamen in ſtultum vulganda hęc cœna Popellum;
  Non tam divinas appetit ille dapes.
Si vulgem, meream ſtygias ut Tantalus undas:
  Nolo vulgati nectaris eſſe reus.
Vos Amor invitat, natæ ad ſublimia Mentes:
  Ad veſtra egregiam fercula ferte famem.
Quiſquis amat ſuperûm fieri conviva beatus,
  Hic fieri ſancto diſcat amore ſatur.

Ex Florileg. lib. 3. cap. 25.

EPIGRAMMA.

HIc Græcus Vates extinctus, Cyridis olim,
Phœbi, & Bacchi ardens igne, furore, ſiti.
Mors triplicem domuit ſuprema pace furorem.
Friget Amor, ceſſant pocula, Muſa tacet.
Quin Bacchi, & Veneris nunc plectit gaudia Minos,
Gloria nunc Phœbus, qui labor ante fuit.
Quàm mutat ſenſus rerum doctrina ſepulchri!
Quæ placuere dolent, quæ doluere placent.

Ex Florileg. lib. 3. cap 6. Epigr. 42.

EPIGRAMMA.

TEmporis immenſum fluxit, quàm vixeris ante;
Temporis immenſum poſt tua fata fluet.
Quanta tibi nunc vita manet! ſit maxima, punctum,
Aut etiam puncto, ſi quid in orbe minus.
Hoc modicum miſerum: Curæ urgent, gaudia fallunt.
Mors plus optandæ ſæva quietis habet.
Ergo vitatis ad littus tende procellis,
Phedon quale Cryti jam tenet hôc tumulo.
Currit vita celer, ſed in ipſo noxia curſu,
Vel ſpernenda brevis, vel fugienda nocens.

Ex Florileg. lib. 3. cap. 23. Epigr. 4.

EPIGRAMMA.

MEnte tenet leges; & moribus Agatonicus;
Sed non jura ſolet Parca timere ferox.
Ergo erepta cito Jurisprudentia fato,
Dum nondum veſtit juſta juventa genas.
Hunc deflent Socii, tundentes planctibus urnam,
Docti ornamentum, præſidiumque chori.
Ejulat amiſſos ventris teſtata dolores,
Nunc iterum magno preſſa dolore Parens.
Sed felix ſuperis, celeri qui morte peremptus
Non dolet, in vitâ deſipuiſſe diù.

Ex Agatiâ.

EPIGRAMMA.

QUis Mortem timeat, quæ fert poſt fata quietem,
Mortales morbis, pauperieque levans?
Ex cunctis hæc ſola malis ſemel obvia tantùm,
Nullum bis lædit Parca reverſa Virum.
Cominus eſt aliis alios ſuccedere morbos,
Queis vexata ſolet vita perire diù.

Reſpondet Filio ſuo, qui ad illum tranſmiſit Poeſim.

ELEGIA.

QUi legis hæc, Dominum lauda, contemne Poetam:
  Sic Domino gratus, ſic mihi juſtus eris.
Non mereor laudem, non aura hæc debita Cœlo.
  Quæ Cœlo affertur gloria, ſola mea eſt.
Hæc fudit natura rudis, non cura polivit.
  Si quid fortè probas, hoc pietate probas.
Ergo laudetur pietatis maximus Auctor,
  Qui tibi & indocto carmine dulce ſonat.
Hæc non laudis amor, ſed Cœli gratia dictat:
  Simplicibus gaudet verſibus illa magis.
Quin dolor hìc loquitur: ſunt horrida verba doloris;
  Infantem, ſi quem pœnitet, eſſe decet.
Qui nimis ornatur, non ſentit crimina ſupplex,
  Nempe vacans arti culpa, dolore vacat.
Sæpe eſt in nimio ſuſpecta ſuperbia cultu,
  Creditur haud veniam poſcere laudis amor.
Totus in ingenio malè cauſam pectoris urget:
  Cor frigere ſolet, cui calet ingenium.
His vellem cor amans loqueretur ad æthera verbis;
  Non bene lucernam carmen Amantis olet.
Eſt facundus amor, ſed non facundus ab arte;
  Pectoris undanti flumine ſenſa vehit.
Impetus amittit genium, ſi cura moretur,
  Et multus ſubito in flumine limus ineſt.
Cui loquor, huic animi nudantur ſenſa loquentis;
  Non his ut placeant auribus, artis egent.
Præterea doctrina Dei ſuper omnia amandi,

Eſt per ſe dulcis, lucida, pulchra, brevis;
Non eſt ornatu tradenda, aut dogmate multo.
Explicat hanc puris mentibus ipſe Deus.
Omnibus hanc tradit, modò ſint audire parati.
Se ſe hebetem dicat nemo; cuique patet.
Hoc ſpargit divina Homini Sapientia munus.
Summas in Populum prodiga fundit opes.
Tardos ipſa ciet, datque ad myſteria mentem;
Utque humiles ſapiant altiùs, illa facit.
Arcet nolentes immenſo à munere ſolos,
Atque hi ne nolint admonet, inſtat, agit.
Quod ſi quis patulas paulùm modò commodet aures,
Terrena attentos dedocet, alta docet.
Quin ſæpe infanti ſublimis ab ore perorat.
Oh velit & nugis corda ſubire meis!

EX FLORILEGIO GRÆCO

VERSIONES NONNULLÆ IN LATINUM, ET ITALICUM IDIOMA.

Digitized by Google

CRudelis jaceat, ſinè luctu, & honore ſepulchri
Iratum aſpiciens Cœlum;terramq;inimicam;
Quę quãvis Mater cunctorum,viſcera claudat
Ingrato; renuens retinere nocentia membra.
Ultio naturæ, quæ læſa eſt, omnia debet
Congerere in furias elementa: ſed una furorem
Plus Mater communis habet, pluſque illius oſſa
Inſequitur; lex eſt cunctis odia alta movere,
Qui noſtros læſere pares: ſimiliſque duorum
Conditio nimiùm infundit pietatis; & iras
Vel non admittit, vel in imo pectore frænat.

In Italiano.

Glaccia il crudo inſepolto, e nieghi almeno
La comun Madre al matricida il ſeno.
De le membra nocenti
De l'offeſa Natura
Ben tocca la vendetta a gli elementi.
Ma la gran Madre antica,
Più d'ogn' altro nemica, in odio il prende;
Che l'abborrir chi voſtri pari offende,
E' naturale uſanza.
Toſto impetra pietà la ſomiglianza.

ACtus magnanimi, ſudantis gloria frontis;
Vulgabunt meritis nomina plena tuis.
Flectit quiſque genu, nam te videt eſſe beatum
Empyreo, & celebri ſpargere luce dies.
Luminibus dum nemo tuis huc uſque propinquat,
Omnia ſunt clarus ſidera ſermo tui.
Tam validi nunquam zeli monumenta peribunt.
Virtutum hiſtoriam ſolus Olympus agit.

In Italiano.

LE fatiche, e i magnanimi ſudori
Ti renderono il merto. Ognun t' adora
Su l' Empireo beato, a' cui ſplendori
Mortal non giunſe ancora.
Son de l'opre tue belle
Chiara ſtoria le Stelle.
Non ſia giammai, che la memoria muora
D'un valoroſo zelo.
De la virtude è commentario il Cielo.

OH Græci Heroes! noſtrum terebrate cadaver;
Eſt luſus Leporis mortuus ipſe Leo.
A' Pelide Hector cæſus, ſic dixit Achivis,
Inſultans querulo ſcommate barbariem.
Infelix etenim quando eſt audacia Martis,
Inſultus viles corpora cæſa dolent.

In Italiano.

O *Mai Greci Campioni*
Il Cadavero mio prodi ferite.
Così i morti Leoni
Sono ſcherno talor di lepri ardite.
Già da Pelide ſpento
Così a' Greci inſolenti Ettore dice.
Al valore infelice
La viltà temeraria è gran tormento.

Lib. 1. cap. 1. Epigr. 8.

VIctorem Diophonta cano; Zitos, atque Corinthus
 Monſtrant ardoris conſcia ſigna ſui.
Saltu, luctâ, arcu, diſco, curſuque volûcri
 Fama ſuis circùm ſibilat alta comis.
Tales ſunt noſtri, mundana oh gloria, luſus:
 Es tamen humanis tu ſitis una fibris.
Tollis, perſtringis, feris, occidiſve, fugiſve.
 Oh cinis! oh vanum nil niſi nomen, homo!

In Italiano.

NEgli arringhi di Zito, e di Corinto
 Or Diofonte ha vinto,
Colmo di gloria altēra,
Per ſalto, lotta, ſtral, diſco, e carriera.
Tai de l'umana gloria i giuochi ſono,
Il cui deſio ne ſtrugge.
Innalza, abbraccia, e fere, ancide, e fugge.

Ten-

TEntarunt olim, græcâ erudiente Palæſtrâ,
Artis præſidio juveniles cingere vires,
Et quos Heroes Neptunus, quoſque creavit
Juppiter. Ergo ſimul luctarunt. Præmia Victor
Nulla æris promiſſa ſciat; ſed noverit ille,
Qui vicit, ſe contentum vitalibus auris,
Audire & laudes; qui verò victus, ab aurâ
Divulſus jaceat vitali; hoc ſcilicet illi
Sit damnum, ſit & iſte pudor. Terram occupat ecce
Cernuns Antêus, victor ſupereminet ori
Calcato Alcides. Inſtructæ in more Paleſtræ
Gens Lybica haud tanta eſt, quanta eſt Argiva Propâgo.
Huic peregrinæ Oleæ ſua ſerta ad tempora mittent.
Vanus inexperti ſemper ſe fleverit ardor;
Conſuetudo poteſt pluſquàm natura: beati,
Queis Virtus facta eſt uſus, quo vincitur uno!
Unica præcipuum ſequitur victoria morem.

In Italiano.

D'I Nettuno, e di Giove i figlj prodi
Di congiugner tentaro
Ne la greca paleſtra
A valor giovanile arte maeſtra.
Lottaro inſieme, e non per premio uſato
Di bronzo effigiato.
Eſſer doveva al vinto
La perdita mortale,
Il applauſo al vincitor l'aura vitale.
In terra al fin ſi vide
Anteo giacere, e vincitore Alcide;
Che a la paleſtra avvezzi
I Libici non ſon, come gli Argivi.
Di riportarne i pellegrini ulivi
Ineſperto Campione in van preſume;
Che la forza maggiore è del coſtume.

SÆpiùs heu falſis bona ſibilat aura ſuſurris!
Ne te decipiant, Navis amica, vide.
Neve tuis veniens ventoſa ſuperbia velis,
In deſolatas advehat inde plagas.
Nulla importuna, & nondum ſaturata cupîdo
Det libertati vincula ſæva tuæ.
Vita hæc oppoſitis agitatur percita ventis,
Non ſecus ac puppis, neſcia ſtare freto.
Virtus ſola manet, radicibus obſita firmis,
Ventis obſiſtit, nec vada ſalſa timet.
Hac unâ poteris regere auras fata minantes,
Et Nerei iratum tranſvolitare caput.
Vincere juratas in noſtra pericula ſortes
Sors eſt Virtutis, vis animique gravis.

In Italiano.

NOn faccia aura infedele
Di ſeconda fortuna
Al tuo naviglio inſuperbir le vele;
Nè mai cura importuna,
O mal contenta voglia
Al tuo libero core il ſeren toglia.
Rabbia di mille ognor venti contrarj
Queſta vita mortal combatte, e ſcuote:
Sola virtù ſu le radici immote
Reſiſte a' venti, e ſignoreggia i Mari.
Sol con queſta potrai
Regger l'aure felici, e romper l'onda:
E' prova del ſaper ſorte gioconda;
Gran potenza del core è vincer guai.

Thyr-

THyrſiger eſt Bacchus non ſemper: Gloria vana
Se vacuam noſcens, ſpecie ſe ſe implet inani.
Vultus in aſpectu rerum, cernendo, quieſcit.
Fallimur hinc omnes, dum judicat omnia ſenſus.
Sed cùm deceptum ſe jam quis vidit, in ipſam
(Proh pudor!) irrêpit fraudem: nam Gratia fallax
Ornatur ſemper, quia cenſet fallere ſemper.
Oh ingens error, non eſſe, & velle videri!
Sed bonus inſpector non tradit corda colori.
Syncerus vanum neſcit: depingere verum
Hoc opus eſt falſi: veſtiri ab imagine ſolâ
Eſt mendici animi, non ad cœleſtia nati.

In Italiano.

SEmpre Bacco non è, che'l tirſo porta:
La Vanitade accorta,
Di mancante ſoſtanza
Mette cura maggior ne la ſembianza.
A leggiere apparenze il volgo attienſi,
Pur troppo avvezzo a giudicar coi ſenſi:
Ma dal fallace oggetto
Speſſo ingannato ei torna;
Che vuol ſempre coprir chi troppo adorna.
Gran deſio di parer ſente difetto;
Ma chi ben dentro vede,
Al bugiardo color non preſta fede.
Non è vano il ſincero;
Raſſomigliare il vero
E' ſtudio di chi mente:
La veſta del fallito è l'apparente.

Qui

QUi canõ gelidæ Junonis pulvere tectus,
Perpetui in tergo fata Decembris habet,
Mons Ethna interiùs vulcania viſcera nutrit,
Sulphur eoſque ferus mittit in aſtra focos.
Qui circùm effuſi quaſi flammea flumina ſtrident,
Implent fumoſis ima, ſuperna globis.
Hinc ſolem eripiunt: ſed iniqua volumina flammæ
Horribilem ſpargunt per loca cuncta diem.
Membraque concuſſi ſaxoſa ruentia Montis
In Mare præcipiti detonuere gradu.
Æmulus hinc duplex ſe percutit ignis, & unda:
Tertius eſt aer: trina procella furit.

In Italiano.

ETna, che nevi eterne ha ſu le ſpalle,
Verſa da l'arſe cime
Fiumi d'ardor ſublime;
Fiumi, che ſparſi in alto, e ne la Valle,
Con fumo acceſo, e folto
Coprono al Sole il volto,
Ma ne la notte poi ſpargono intorno
Con volumi di fiamme orribil giorno.
Queſte ſcagliano in Mare
Vaſti membri del Monte i rotti ſcoglj,
E par, che 'l foco ancora
Sfoghi in ſeno del Mar l'ire ſue felle,
Gareggiando con l'aria in far procelle.

No-

NOſtra quot ira viros perdat, jam noſti Agamemnō,
Collatoque gradu queis pugnet viribus Hector.
Ecce omnes periere tuo ſtultiſſime damno,
Quod par commeritis, & pejus morte tuliſti.
Ecce tuas tecum ſolvunt græca agmina pœnas,
Qui fueras noſtris decus, & fiducia caſtris.
Pœna eſt peccati ferre infortunia ſecum.

In Italiano.

AGamennone or provi empio tiranno,
Quanto a guerra affrontata Ettore è fiero,
Quanto de l'ira mia ſia grave il danno.
Ecco del Greco impero
Abbattute le ſquadre, e tu sì forte
De gli eſerciti Achei gloria, e fidanza,
De l'ingiuſta baldanza
Paghi, o miſero, il fio peggior di morte.
Così Pelide accagionar procura
De la ſconfitta il Capitano ingrato.
E' pena del peccato,
Portar la colpa ancor de la ſventura.

SIc Muſas affata Venus: mea ſacra colantur;
Ne à vobis pœnas exigat ultor Amor.
Illæ reſpondent placidæ. Sic dicito Marti.
Neſcit ad Aonios iſte volare puer.
Tutus ab effluviis curarum creditur ille,
Quem decorat ſanctæ religionis amor.
Et meus, quæ Cœli ſplendoribus obſita fulget;
Nil cæcum in votis novit habere ſuis.

In Italiano.

DIſſe a le Muſe un dì Venere altera:
Onorate il mio Nume,
Onde voi per vendetta Amor non fera;
Che di punir ſuperbi ha per coſtume.
Franca riſpoſe allor l' Aonia ſchiera:
Tali minaccie il tuo Gradivo aſcolti.
Il tuo garzon non vola a' noſtri regni:
Vivon ſicuri, e ſciolti
Da ogni cura profana i ſacri ingegni.
Sdegnan di nodrir ſeco
Le menti illuminate un deſir cieco.

OB decus eloquii vir facundiſſime parce,
Quòd debemus adhuc nos monumenta tibi.
Queis ſapiens curis civilia regna beaſti,
Hoc tandem munus ponimus Heraclemon.
Ne leve deſpicias donum, ſtatura per ævum
Egregiè meritis reddimus iſta tibi.
Magnæ Animæ lex eſt placitum ſibi dicere donum;
Eſt màjus meritum cui moderata placent.
Muneribus ſplendet parvis dum Gratia major,
Sit Virtus modico lætior iſta metro.
Non etenim meliora Jovi ſunt premia; quàm nos
Aſſiduos gratâ conſolidaſſe fide.

In Italiano.

PErdona, ſe al tuo dir ſaggio eloquente,
Che vincendo innamora,
Dovute non s'alzar le ſtatue ancora.
A le tue cure a noſtra pace intente
Queſto oramai ſia ſacro
Eterno ſimulacro.
Gradiſci Eraclemon: così da noi
Si conſacran gli Eroi.
Obbligo di grand' Alma è il gradimento;
Ed è merto maggior merto contento.
Spira nel picciol dono immenſo affetto,
Che a render baſta i pregi tuoi beati:
Anco il più caro effetto
Del benefico Giove è farci grati.

Vi-

Lib. 1. cap. 5. Epigr. 15.

Vitis quid faciam, Paridis cùm dexter Apollo
Diriget in natum tela Pelaſga meum.
Infelix animus renovat, memorando, dolores;
Cunctorumque gravis fit ſua cura dolor.
Conſilio, & pietate petras, & ligna replere
Poſſe putat, querulum reddere fronde Nemus.
Nemo adeò facilis credet, quæ ſenſa medullis,
Se nunquam ſaturus, nutriat ipſe dolor.

In Italiano.

AMici tralci, ed io
Qual prenderò conſiglio;
Quando di Dafne il Dio
Scoccherà nel mio figlio
Con inviſibil mano
Il fiero ſtral del traditor Trojano!
Così piangendo diſſe
Teti a la vite, onde fu ſalvo Uliſſe.
Sempre un miſero core
Rinova i pianti ſui
Ne la ſalvezza altrui.
Stima, che'l ſuo dolore
Ad ognun tocchi, e pur gli ſian dovuti;
E conſiglio, e pietà dai tronchi muti.
Non ſi può creder, quanto
Ne' proprj ſenſi è dilicato il pianto.

Moe-

MOenia Macyni conſcendit in alta Philippus.
  Juppiter, ut ſerves ſidera, claude polum.
Jam Mare, jam terras domuerunt ſceptra Philippi;
  Auſibus una ſuis reſtat ad aſtra via.
Humanum neſcit votum fortuna beare;
  Et ſemper bibulam linquit iniqua ſitim.
Pugnas, & palmas ne te quæſiveris extra:
  Ipſe ſibi campus, Victor, & hoſtis homo.
Urbes, & Populos Martis crebra flumina inundent;
  Interiora illos, & graviora premunt.
Eſt æterna ſitis vincendi; & figere metas
  Humani ingenii creditur eſſe probrum.

In Italiano.

SAle Filippo in ſu l'eccelſe mura,
E al ſuperbo Macin l'orgoglio atterra:
Se de le ſtelle hai cura,
Giove l'eterne ſedi omai rinſerra.
Già terre, e mari ha ſoggiogati in guerra;
Vinti i baſſi elementi,
Or l'aſſalto del Ciel convien, che tenti.
Deſio di gloria umana
Per favor di fortuna unqua non ſana.
Diſuſato valore
E' il cercar le vittorie entro al ſuo core;
Benchè veggan gli altêri
Da' torrenti guerrieri
Inondate Città, Popoli oppreſſi,
Fanno guerra a ſe ſteſſi,
Da ſete eterna inquietati, ed arſo.
Non è prodezza umana il contentarſi.

Non-

Lib. 1. cap. 5. Epigr. 8.

NOndum magna mei deſæviit ira parentis,
Aſt ego laturus Teucris fata ultima veni,
Noſtro præteritos obſcurans Marte triumphos.
Et Priamum Regem, & quos ipſe reliquit Achilles,
Unà omnes fundant Phrygiis mea Prælia campis.
Ultor disjiciet ſublimia Pergama Pyrrhus;
Una hæc haſta decem concludet Doribus annos.
Et Patrem ulciſcens, ſuper oſtia diruta ſcribam:
Ultio, quæ pia ſit, procedit robore plena.

In Italiano.

L'Orrende impreſe ancor non terminaro
Del mio paterno acciaro.
Del gran Dardano al regno
L'alta caduta io reco,
E ad oſcurar con mie prodezze io vegno
Le paſſate Vittorie al valor greco.
Lo ſteſſo Priamo altero,
Con quei, che da Pelide ebbero ſcampo,
Io ſtenderò su'l campo.
Di Pergamo guerriero
Al ſuolo ſpargerò le torri antiche.
Troncherò le fatiche
Del decennio fatal con queſto brando:
E'l Padre vendicando,
Inciderò ſu l'atterrate porte,
Che pietoſa vendetta è ſempre forte.

Cal-

CAlliope paſcentis Apes Heliconis alumna;
Bis tibi Pelides, bis tibi Homerus erit.
Fulgida vis laudum præclaris pervia factis,
His donat radio nobiliore frui.
Inque manus Sapientis, opes poſuere ſecundas
Sidera, & edocto cernua fata pedi.
Quò melior laudator erit, laudatus habebit
Plus famæ: ex alio nomine nomen habet;
Ipſa ſibi merces, ſibi ſors eſt unica virtus:
Et tamen è calamis clarior ipſa venit.

In Italiano.

SAggia Caliope tu, che in Pindo regni,
Ove ſi paſcon l'api, e più gl' ingegni,
Or che novello Achille in noi ſoggiorna,
Un nuovo Omero a partorir ci torna.
Aggiugner ſuole un più durevol raggio
La beltà de le lodi a l'opre belle,
E poſero le Stelle
I fati de la gloria in man del Saggio;
Un gran nome più dura,
Quando ſcrittor più glorioſo ottenne;
Dal valor de le penne
Fin la ſteſſa virtù prende ventura.

* * * *
* * *

OH ſapiens, quiſquis Stoicorum dicta ſecutus;
Proficuos libros, quos venerere, dedit!
Illiſque inſcripſit: ſola eſt, atque unica Virtus,
Unde Urbes gaudent, Djs ſimilatur homo.
Muſarum miſeranda nimis, quæ labile noſtro
Corde, voluptatis prædicat una bonum!
Extremum vitii eſt doctrinis turpiter uti,
Dentur ut aſſuetis jura benigna malis.

In Italiano.

SAggio chi de la Stoa ſeguendo i detti,
Poſcia al Mondo ne diè ſacri volumi.
Sola è bene Virtù: cò ſuoi precetti
Son liete le Città, ſanti i coſtumi.
Una de le Camene
Poſe il ſozzo piacer per ſommo bene.
E' l'eſtremo del vizio
Coprirci di dottrine il precipizio.

Qui

QUæ rupes, quæ te, Labruſca maligna creavit?
Rupes Phœbei neſcia facta pedis?
Te Celtæ, aut peperere Scythæ, rigiduſve Bootes:
Vel Mons Cantabricus, Ferri-parenſque tulit.
Ex immaturo, qualem fers impia, fructu
Pro vino, potiùs dira venena fluunt.
Ut te detruncem, cupio evaſiſſe Lycurgum,
Tollas indignum ne maleſana caput.
Sic legum formare decet fera jura peritos:
A' radice malum vellere, dulce bonum.

In Italiano:

QVal non veduta al Sole
Mai ti produſſe incolta, erma pendice,
O Labruſca infelice?
Forſe de' Celti, o del gelato Scita
Sotto il rigido Norte,
O del Cantabro forte
Sol gravida di ferro alpe romita?
Dal tuo frutto immaturo
Stillan gli aſpri licori
Degniſſimo velen di labbro impuro:
La tua deſtra, Licurgo, or ben deſio,
Da troncar le radici al tralcio rio.
Così i Legiſlatori
Soglion farſi immortali,
Con lo ſterpar da la radice i mali:

* * * *
* * * *

GEmmatos poſuit clypeos quis Martis ad aras?
Indignam ſedem gemma cruoris habet.
Heu non digna meis anathemata tollite templis!
Nam mihi non laudes, ſed probra mille vocant.
Fœmineos ornate lares: hæc Martius ardor
Ornamenta negat, quæ cupit una Venus.
Hoſtilem in ſortem natus, non lætor in ullis,
Quàm quæ funereo ſanguine ſcuta madent.
Non capit à pulchro generoſa audacia guſtum.
Sola armis feritas eſſe jucunda poteſt.

In Italiano.

A' Marziali altari
Chi mai ſoſpeſe interi ſcudi, e terſi,
Effeminati acciari
D'oro, di gemme, e non di ſangue aſperſi?
Togliete i Voti indegni a' templi miei,
Che rimproveri ſono, e non trofei.
Così l'atrio s'adorni,
Ove laſciva ebrietà ſoggiorni.
Io, che nacqui a le morti,
Sol contento co'l ſangue, e con le ſtragi
I fieri guardi, e forti:
Poichè del valor vero
L'ultima prova è dilettar col fiero.

Vul-

VUlnera centeno potuit quæ figere cordi,
Per graſſatores nunc laniata dies:
Lais adeſt: jam Lais erat: non ampliùs ullo
Vere rubet vultus, plumbea labra cadunt.
Sed qui ferre negat placiturà piacula vultus,
Mille dat eluſis nunc documenta viris.
In rectas mutata vices, ſic provida ſanat.
(Se ipſam oh utinam!) quot dedit ante neci.

In Italiano.

LAide, che pena fui di cento Cori,
Non più Laide peccato or ſon de gli anni:
Ov' ebbe gioventù più vaghi i fiori,
Più ſozzi or ſon de l'età fredda i danni:
Ma per altrui ſalvezza or queſti errori,
Se non danno piacer, togliono inganni.
Cangiata al core altrui, ſe d'amor vano
Già Laide lo ferii, laida lo ſano.

PEſſimus ecce Phrygum, generoſi Ajacis ad urnam
Verborum eructans, ore jocante, lutum.
Sit licèt extinctus, ſe ſe excutit inclytus Hæros,
Clamat; & ad ſonitum percitus, Orcus hiat.
Vilis deriſor fit par formidine ſaxo,
Et ſtupidus muto ſcommata in ore necat.
Clamor Magnanimi durat poſt fata: cadaver
Semper ab imbelli, quod timeatur, habet.

In Italiano.

Vien con detti maligni un Frigio indegno
Del prode Ajace ad oltraggiar la tomba:
Grida l'Eroe di ſdegno,
E al magnanimo grido Orco rimbomba.
Dal valoroſo eſtinto
E' il vivo imbelle intimorito, e vinto.
Serba il grido del forte
Ancor dopo la morte alta poſſanza,
E ſuol toſto invilir la petulanza,

FAtales Aſtrorum iras hæc Patria neſcit:
Numina non tangit tam ſpecioſa furor.
Ipſa imò Pallas pro nobis Ægida veſtit,
Filia cunctorum Numinis, atque Patris.
Ipſe etenim luces tetras, luceſque ſerenas
Æquali vultu donat, & æquus agit.
Sed poterunt Populi auratum crudeliter imbrem
Quærere, & in Patrios damna iterare lares.
Non ſaturandæ opibus Gentes, queis damna aliorum
Plena voluptatis tempora ferre ſolent,
Nativis domibus diſcretæ accumbere menſæ
Deſpiciunt, pretium queis gula culta facit.
Aurea ſed mediam retinens moderatio ſedem,
Innocua in lætis enatat una jocis.

In Italiano.

D'Aſtri maligni, o rei
Noſtra patria non teme ire fatali;
Che a' deboli Mortali
Non portan per ſe ſteſſi ira gli Dei.
Anzi l'invitta Dea, figlia del Nume,
Che ci parte i ſereni, e le tempeſte,
Per noi l'Egide veſte.
Ben i Popoli avari
Potranno ingordi d'oro
Strugger la patria loro.
Popoli ingiuſti, a cui
Toglie il ſenſo de i mali
Il maligno piacer de i danni altrui;
Non ſanno eſſi goder ne' patrj lari
Lieta, e modeſta menſa:
Che ſicura innocenza è gioja immenſa.

INclytus ecce Puer, quem pulvis Olympice laudas,
Quo fuit in curſum doctus, & actus equus.
Quàm pulcher ſævo, & rutilante Theocritus ore!
Una magis pulchrum jurè Palæſtra facit.
Quare ædes ornans oleâ immarcente paternas,
Ipſe aris Divûm dives honore ſedet.
Heroes gaudent famam donare Nepoti:
Dulce ſibi Numen ſic geminare putant.

In Italiano.

RAvviſate il garzone
Teocrito il Campione
De l'Olimpica arena,
Ove inſegna a' Corſier deſtrezza, e lena:
Son vaghi i ſuoi ſembianti,
Ma vaghi ancor de la paleſtra i vanti:
Onde d'olivi eterni
Orna i Templi paterni.
Così godon gli Eroi,
Ch' è dolce gloria il cagionarla a' ſuoi.

Arci-

Lib. 1. *cap.* 1. *Epigr.* 4.

ARcitenens Rex Muſarum dic Phœbe Sorori,
Ut validas agat illa feras, quæ corpora tantùm
Attingant hominum, populique inſontibus ora
Delectent ludis, ut ego Jovis æthera mitis
Obtineam, nullamque ſciant mea lumina cædem.

In Italiano.

RE de le Muſe, e valoroſo arciero,
Dì Febo a la Germana,
Che mandi de le belve il popol fiero.
Ma queſto a' Cacciatori entro l'arena
Baci le membra appena,
E con giuochi innocenti
Venga a bear le Genti.
A me parrà di Giove
Su'l benefico tron regnar fra i Numi,
Se ſangue uman non mi tormenta i lumi.

Rex hominum, Divumque Tonans; qui jure coercet
Europæ ſtabiles, inſtabileſque ſinus:
Dianæ ſuſpendit opes, bellique trophæa,
Et ſpolia Odryſio, Cyroadumque ſolo.
Demetrj ſatus hic, quem bellica laurea cingit,
Qui superûm aſcendit, nominis arte thronos.
Fulmina in axe parat roſtrata miniſtra Tonanti:
Hæc vibrat in Terris fulmina celſa manus.
Regales ligat ante pedes adamantina Fati
Vis, timidos hoſtes, integra Regna ligat.
Spem capit è Superis decorata Potentia laude:
Unius æterni eſt Gloria gemma globi.

In Italiano.

De l'Europa il regnante,
Ovunque il Mare ondeggia, e'l ſuol ſi ſtende,
Sì gran Re de' Mortali,
Quanto de gl' Immortali il Dio Tonante,
A Diana ſoſpende
Spoglie rapite a Ciroada in guerra,
A i vinti figlj, ed a l'Odriſia terra.
Di Demetrio il guerriero
E' queſti il figlio, e già gran tempo aſceſe
Su i troni de gli Dei ſuo nome altêro.
Ecco amminiſtra in Ciel gli ſtrali ſui
L'Aquila a Giove, e la vittoria a lui;
E quivi lega a' piedi ſuoi più degni
La catena del fato i vinti regni.
Laſsù fidanza preſe
Di vera eternità la ſua memoria;
Che ſolo in Cielo è verità di gloria.

Lib. 1. *cap.* 1. *Epigr.* 6.

Ucta Mycenæo non eſt mihi prodita circo;
Lucta nec Argoos eſt imitata pedes.
Sparta dedit cunas, Laconeſque dedêre vigorem:
Hos retulere mihi Gymnica bella Patres.
Robora victorem faciunt, non fraudis honores;
Fraude paratus honos eſt inhonorus honos.

In Italiano.

Lottator non ſon io d'Argo, o Micene.
Sparta, ove naſce il forte,
Mi diede il latte, e le Virtù Lacene.
Quelli uſan l'arte, e le paleſtre accorte,
Io ſon ſpartano, e come Sparta avvezza,
Son le vittorie mie pura fortezza.
I veri generoſi
Tali frodi non ſanno.
Debolezza, e viltà conſiglia inganno.

Lib. 1. cap. 5. Epigr. 11.

RObur Achillæum renovatâ Palladis irâ
Cœpit in æternas arma movenda neces:
Quale gelu ſtringet Phrygios fatale timentes,
Hectoreaſque fibras, Hectoreumque fatum?
Deſcendêre etenim Cœlo lucentia Achilli
Arma, ſupinandis ſola tremenda viris.
Ad Cœli nutum Regnorum fata reguntur:
Heros terreni nil generoſus habet.

In Italiano.

DI nuovo di Minerva ire fatali
Diedero al prode Achille armi immortali.
Deh qual mai ſentiranno orrido gelo
I Frigi, Ettore, e'l Padre, or che diſceſe
A tant' Eroe dal Cielo il ſacro arneſe?
Regge i fati de i Regni il divin zelo,
E per le grandi impreſe
Sempre l'armi a gli Eroi vengon dal Cielo.

Fa-

Fœmina queq;nocet: Sic quondam oſtendit Homerus.
Inſons, & meretrix fœmina quæque nocet.
Tyndaris afflixit, quoque perdidit uxor Uliſſis,
Altera caſta Procos, altera mœcha Phryges:
Carmen Odyſſææ quaſi nænia triſtis amantum eſt,
Ilias eſt omnis copia dicta mali.

In Italiano.

Come Omero moſtrò, ſempre a' Mortali
Nuoce la Donna, od innocente, o rea.
Fà miſeri perir ne l'Odiſſea
La pudica i rivali.
Per l'impudica, onde Aleſſandro ardea,
Detta è l'Iliade un Amaltea di mali.

PAlmite quis Bacchi temerè crudam abſcidit uvam,
Et ſparſit ſtringens, labra, putamen humi?
Tollere præteriens non hanc dignabitur hoſpes;
Proteret hanc petulans læta per arva pecus.
Hunc Bacchi perdat, quæ perdidit ira Lycurgum,
Quod malè præcîdit munera nata Deo.
Hæc epota replent Vatum ſacra pectora Phœbo,
Hinc Bromius curis pharmaca certa parat.
Phœbeos etenim radios mens carpere neſcit,
Si velent mœſtum nubila tetra ſinum.

In Italiano.

CHi temerario impuro
Il grappolo immaturo
Da' pampini Lenei colſe poc' anzi?
E ſtringendoſi poi le labbra acerbe,
Laſciò cader ſu l'erbe,
Eſpoſti al Paſſeggiero i tronchi avanzi?
Come Licurgo già, provi coſtui
L'ira di Bromiò, a cui
L'ingorda mano ha ſpenti
I diletti creſcenti.
Quindi eſce il licor ſacro,
Che a le cure è lavacro;
Poi di febei furori empie le menti:
Che mai d'Apollo i raggi
La mente non accoglie,
Se i nuvoli del cor prima non toglie.

Othria-

Lib. 1. cap. 5. Epigr. 21.

OThriadem Spartæ magnum decus, an Cynegiri
  Claſſes, an belli fortia cuncta cano?
Martis honos Italus pugnans ad flumina Rheni,
  Hoſtilem pulchrâ cæde momordit humum.
Signa Latina rapi Germano vidit ab hoſte,
  Surgens jactantem ſigna verenda necat.
Mox aquilas Ducibus reddit, ſua corpora letho:
  Victricem hanc mortem ne ſine muſa mori.
Pulchra probô eſt mortis facies: æterna voluptas
  Principium extremo tota dolore capit.
Heros, qui moritur, ſua funera calcat: ab imo
  Sperat enim vitam carpere poſſe die.

In Italiano.

OTriade onor di Sparta, o Cinegira
Eroe del Mare, o tutti i prodi io canto?
Lo ſteſſo Reno ammira
D'Italico guerriero il nobil vanto.
Queſti ſu le ſue rive
Da cento ſpade oppreſſo al fin giacea:
Dovea morte aſſalirlo, e ancor temea.
Vide quell' Alma invitta in oſtil mano
Un' Aquila rapita,
E raccolto valor ſu la partita,
Tolſe a l'altier Germano,
E l'inſegna, e la vita.
Muſa, ſe dunque al forte
Più che vittoria fu vincer morendo,
Men che morte ſarà morir vincendo.
La beltà de la morte
Prende da' tuoi concenti eterne tempre.
Naſce dal morir prode il viver ſempre.

Diſſi-

Lib. 4. cap. 5. Epigr. 9.

Difficilem noſtro pepuliſti in corde dolorem,
 Quòd Patris nex ſæva tui vexarat Achillis.
Pœnituit necis, & Patriam tu Pergama juſto
Vaſtaſti excidio, Danais cupientibus affers
Immortale decus, quod deſperaverat ante
Tota decennali perdurans Græcia bello.
Sic fortis pietas, quæ juſtos ambit honores,
Vindicat, & læſi defendit jura ſodalis.

In Italiano.

M'Aſciughi'l pianto tu, che ſparſi amaro
 Nel fato rio del tuo gran Padre Achille.
Troja l'anciſe, e pianſe, e ben pagaro
La pena al tuo valor le ſue faville.
Gloria immortal, che i Greci in van tentaro
Co'l decennio oſtinato, e navi mille.
Così a forte pietà, che gloria brama,
Dolce prodezza è vendicar chi s'ama.

In

Lib. 1. cap. 5. Epigr. 23.

IN Danaos duxit Xerſes magno agmine Perſas,
Et Titus invitâ duxit ab Auſoniâ:
Europæ ſervile jugum ſed Perſa parabat:
Libertatem Italus, vindice Marte, tulit.
Alma parens recti, ſummæ ſapientia mentis,
Mortales docuit per ſacra adire focos.
Nullum majus habet Divina Potentia robur,
Quàm nos muneribus cingere velle ſuis.

In Italiano.

DE l'elleſponto al lito
Traſſe un Mondo guerriero
Serſe da Perſia, e da l'Italia Tito.
Ma tentava il primiero
Porre a l'Europa in collo il giogo indegno,
L'altro ſottraſſe i Greci a ſtranio regno.
Dunque un eterno obblio ſoffrir dovranno
Del Perſico Tiranno
Gli eſerciti infelici;
Ma con più giuſti onori
L'armi liberatrici
Del Romano Campion la gloria adori.
Alma Beneficenza
Ha inſegnati a' Mortali i ſacrificj;
E ſono ancor de l'immortal potenza
La più bella prodezza i beneficj.

Traxit

TRaxit Piſcator, valido quem jecerat hamo,
Quod ſalſa humanum merſerat unda caput.
Ille ligone carens, manibus tunc fodit arenam,
Quæ vilis capiti, ſed pia tumba fuit.
In foſsâ theſaurus humo pietate repertus,
Quæſtorem officii prodidit eſſe Deum.

In Italiano.

TRaſſe con l'amo un Peſcator da l'onde
Un teſchio d'Vom, che v'affogaro i venti;
E al teſchio il Peſcator ſenza ſtrumenti
Con ſue mani pietoſe
Nobil per la pietà tomba compoſe.
Trovò, in cavar le ſponde,
Prezioſo teſor, premio del zelo.
De la pietate è teſoriero il Cielo.

Ve-

VObis Fontanæ tulit hæc pia munera Nimphæ
Hermocreon, caſtè pura fluenta colens.
Salvete, & pedibus lymphas agitate jucundis,
Et ſacrum puris tergite pectus aquis.
Nam ſatis eſt cordi, cui ſit moderatio in uſu,
Quod ſolùm eſt purum, dulce putare ſibi.

In Italiano.

BElle Ninfe del fonte,
Reca a la purità de' voſtri Numi
Queſti ſemplici doni Ermocreonte.
Così 'l Rio non invidj
Chiarezza al giorno, ed abbondanza a i fiumi;
Ma con chiari criſtalli, e ſorſi fidi
V'innaffj il labbro, e vi conſiglj i lumi.
Anco gli affetti miei cocenti, ed arſi
Ne l'onda pura ho di temprar vaghezza:
Che baſta ad ogni cor, per contentarſi,
Di bella purità ſentir dolcezza.

VOs Pirenæi, voſque imis Vallibus alpes
Spectantes Rheni, quà fugit unda vorax:
Vos teſtes, quanto Germanicus igne coruſcat,
In Celtas Latio fulmina Marte vibrans.
Hi contra coeunt, ſed Marti dixit Enyo:
Hôc bene torquentur fulmina noſtra Jove.
Sideribus lex ergo manet deſcripta: Potentes
Non niſi per ſceptrum ſcribere fata Viris.

In Italiano.

ALpi voi, che ſorgete
Da le valli profonde, e tu, che miri
Del torto Reno alta Pirene i giri.
Voi la fiamma vedrete,
Onde fulmina in guerra
Germanico l'Eroe, che i Celti atterra.
In guerrieri torrenti
Contra s'unir le Genti;
Ma queſte in breve, e diſſipate, e ſparte,
Diſſe Bellona a Marte:
Son le noſtre influenze a la virtute
Di queſt' Eroe dovute.
Importa anco a le Stelle,
Che legge, e Monarchia
De i fati de la forza il valor ſia.

Lib. 1. *cap.* 38.

ALcidis ſtatuam video, quam templa colebant,
Collapſam mediâ fortè jacêre viâ.
Monſtrorum domitor tribus edite noctibus, inquam,
Quid ſic plebejos volveris ante pedes?
Nocte mihi oblatus, ridens mea carmina, dixit:
Temporibus Numen ſervio; diſcat homo.
Tandem cuncta domat victrix tolerantia fati;
Eſt poſſe in cunctis vincere, poſſe pati.

In Italiano.

STatua del grande Alcide, onor del Tempio
Vidi per deſtin rio
In su'l cammino eſpoſta ad ogni ſcempio.
Come, de' moſtri o domator tremendo
Or ciaſcun ti calpeſta? allor diſs' io.
Ei di notte m' apparve, e ſorridendo:
Servo ai tempi, riſpoſe, ancor che Dio.
Così a' Mortali il ſaggio Nume inſegna:
Chi ſerve ai tempi, in ogni tempo regna.

Vi-

Viderat à bello natum Spartana reverti,
 Oblîtum ad claros arma referre lares.
Vile jecur feriens, addit fortiſſima verba:
 Sic patriæ, & Matri nate pudende peri.
Mendacium generis Rhadamanto peſſime purga.
 Lethæâ infandum mergito nomen aquâ.

In Italiano.

Fortiſſima Spartana
Vide tornar dal Marzial periglio
Senza lo ſcudo il figlio.
Con magnanimo dardo
Ferì quel ſen codardo,
Ma più 'l ferì coi generoſi accenti.
Tu la Madre, o mal nato,
E tu la Patria menti:
De le viſcere mie mora il peccato.
Purga di Stigo ai Giudici fatali
La bugia dei natali:
T'aſconda il foſco regno,
E ſi ſommerga in Lete il nome indegno.

* * * *
* * *
* *
*

HIc pedibus mutilus, fuit alter luminis expers;
Sed, quod utrique deeſt, ſupplet uterque pius.
Nam cæcus mutili ſuſtollens utile pondus,
Diſcit ab illius vocibus ire viam.
Mutua dat pietas, quod mutua quærit egeſtas:
Cuncta neceſsè docet, cuncta neceſſe movet.

In Italiano.

TEmpraro un cieco, ed un ne' piedi offeſo
Di ſcambievol pietà lor ſorte amara.
Da le voci del monco in collo preſo
I diritti ſentieri il cieco impara.
Util neceſſitade
Ne i cori, e ne le menti avvien, che regni.
Strigni il biſogno, e ſcioglierai gl' ingegni,
Porgi il profitto, e troverai pietade.

Qua

QUatuor in Græcis certamina, quatuor illis
Sacra, duo Divûm, ſunt Hominumque duo.
Nempe Jovis, Phœbiq; Palemonis, Archemorique.
Pinum, Oleas, Apium, Pomaque Victor habet.
Has nempe effinxit ſibi Græcia vana coronas,
Heroas voluit queis redimire ſuos.
Gloria inanis habere negat nec pondera ſecum,
Nec ſecum fructus. Fidere nemo poteſt.

In Italiano.

IN quattro inclite prove
La Grecia eſercitò gli Atleti ſuoi.
Furon due di due Dei, l'altre d'Eroi,
D'Archemoro, Portunno, Apollo, e Giove.
S'ornaro i vincitori
D'oleaſtro, di pin, d'apio, d'allori.
Così ſolo di fronde
Leggiere, ed infeconde
Suoi prodi incoronò la Grecia vana.
Peſo, e frutto non ha la gloria umana.

Etſi

ETſi ad radicem laceres, dabo fertilis aris,
Quod ſit libando, dum cadis hirce, ſatis.
Nil aliud volvit rabidi patientia luctus,
Quàm religare agiles in fera damna moras.
Eſt offendentis pondus librabile ſemper,
Ultio ne poſſit reddere juſta vices.

In Italiano.

ANcor che mi divori
Infin ſu le radici,
Io tanto produrrò de' miei licori,
Che baſti del tuo ſangue a i ſacrificj.
Così minaccia al dente
De l'ingordo Monton vite dolente.
Altro penſier non cova
Un offeſo dolor, che tempo aſpetta:
De l'offenſor la più difficil prova
E' il toglier la ſperanza a la vendetta.

NObilis in ſtadiis Arias, oh Tarſe Ciliſſa,
Qui te jam poſuit Perſea pœniteat.
Sunt Juveni volucres plantæ, nec Perſeus illi,
Si curſu certet, terga videnda dabit.
Hunc vel carcer habet, tenuit vel meta repentè,
Currentem in medio pulvere nemo videt.

In Italiano.

ARia, il tuo Corridore,
O de l'ampia Cilicia eccelſa Tarſo,
Non fà ſcorno al valore
Di Perſeo, il fondatore.
Ha l'ali a i piedi, e Perſeo a lui nel corſo
Non moſtrerebbe il dorſo,
O nel carcere ancora, o ne la meta.
Vedi già fermo il piede,
Ma in mezzo a la carriera occhio no'l vede.

PRO-

PROSEQUITUR

MISCELLANEA

POESIS.

De multitudine Amorum.

Ex Anacr.

EPIGRAMMA.

AD mea tecta venis, mea linquis hirũdo quotannis:
Nidum æſtate facis, cùm riget annus, abis.
Tu repetis calidam fugiens mala frigora Memphim;
Nidum Amor in noſtro pectore ſemper habet.
Mille hìc naſcuntur: vix ille excluditur ovo,
Hìc pipit, is roſtro poſcit hiante cibum.
Cor ſtrepit innumeris, grandi paſcente minorem,
Qui quoque cùm crevit, gignit & ipſe novos.
Hei mihi, multorum populus quem perdit Amorum!
In mea nam creſcit viſcera turba vorax.
Ut pullus ſtipulam roſtro contundit iniquo,
Quòd malè ſperatis frugibus illa caret;
Hi modicam tundunt iratis morſibus eſcam,
Omnium & exeſo ſentio corde famem.

De Verecundiæ, & Timoris indiciis.

EPIGRAMMA.

QUærunt, cur reliqui ſoleant pallere timores,
Dedecoris rubeat pulcher in ore timor?
Cùm vitæ timeas, ad vitam in corde tuendam
Accurrit ſanguis, linquitur alba cutis.

Cùm metuis probrum, quod primò incurrit in ora;
  Tunc quoque ſubſidio ſanguis in ora venit.
Eſt timor affinis culpæ; quoque pallida culpa eſt,
  Par color & mores indicat eſſe pares.
Pulchra verecundo potiùs contermina Virtus;
  Unde hunc Virtutis purpura pulchra decet.

Juſtitia ſervanda.

EPIGRAMMA.

JUſtitiam ſervandam aliis edicimus omnes;
  Rari ipſi colimus, verbaque fallit opus.
Vix aliquis juſtus, tamen optat quiſque videri,
  Et magis amiſſo munere nomen amat.
Sed fruſtra ſimulat, nequeunt pulcherrima fingi,
  Nec falſum juſto concinuiſſe poteſt.
Diſcite juſtitiam, quàm digna ſit intus amari,
  Nec ſit mentito murice picta genas.
Non eſt indigno conſpectus pulcher ab aſtu,
  Sed placet ingenio Virgo decôra ſuo.
Oh ſi quis noſcat, notamque probaverit uſu,
  Quantus ab expertâ mente flagrabit amor!
Semper juſtus erit quâcumque in ſorte beatus;
  Sentiet in ſanctis moribus eſſe Deum.

Prin-

Princeps colat Artes liberales.

ELEGIA.

QUiſquis amat Populis regno prodeſſe paterno;
Hic amat ingenuis artibus eſſe pater.
Quiſquis amat Populos, Populorum hic optima curat,
Et potiore fovet munere mentis opes.
Quòd metuunt noſci, Muſas odêre Tyranni;
His, quòd amant noſci, mitia ſceptra favent.
Conciliat Gentes regnis ſapientia juſtis:
Eſſe ſolet cultæ mentis alumna fides.
Barbara perfidia eſt, ſceleri mens nulla furenti,
Rarus & in ſtulto corde quietis amor.
Pacem Muſæ ornant, & mentem viribus addunt;
Juſta docent, mulcent triſtia, læta regunt.
Ferre docent animo dura æquo, læta modeſto,
Quem regem impoſuit Numen, amare patrem.
Principis officium non eſt, per damna ſuorum
Finibus antiquis addere Marte novos.
Principis eſt munus, Populos feciſſe beatos;
Gentibus hæc regni maxima cauſa fuit.
Humani generis ſunt hæc elementa tuendi;
Huic ſtatus in Terris optimus eſt ſapere.
Ergo ſervatis Muſis provincia felix,
Non modò fert regnum, ſed ſapienter amat.
Gratia par ſolo potis eſt ab amore referri:
Solus cuncta æquat, cuncta rependit amor.

* * * * *
* * * *

Mulier febris eſt.

ELEGIA.

FAma eſt, Romanos poſuiſſe altaria febri,
  Ne Latium flammis ureret illa ſuis.
Nunc templum morbo ſacrabit nemo, ſed iras
  Exoptat duræ quiſque tepere Deæ.
Tu, qui plectra tuo jam tractas æmula Phœbo,
  Triſtia caſtaliis Numina flecte modis.
Scire voles, ubi dira malæ ſit regia febris?
  Certus ut infauſtum limen adire queas?
Quà ſtyx, & Phlegeton coeunt, eſt regia Mortis;
  Funeſtæ valvas obſidet illa domus.
Ignitæ circùm fervent per littus arenæ,
  Contractiſque palus lurida fervet aquis.
Juxta tetra ſedet macies, languorque dolorque;
  Et ſitis, & circùm pallida turba jacet.
Illuc pervenies, quâ venit & Orpheus arte,
  Qui plectro melior tutiùs ire potes.
Sed tu Traicii relegens veſtigia Vatis;
  Traicii Vatis fata imitere velim.
Sis memor Eurydicen, quòd non abduxerit Orco;
  Ne tecum redeat febris ad aſtra, cave.
Uxorem hic liquit, tu febrim linque ſub umbris:
  Iſte quòd invitus, tu patiare lubens.
Tum nos plaudentes Eliconis turba canemus:
  En pari exibis liber uterque malô.
Non redeam ſtygiis, vel ſi compellar, ab undis,
  Uxor, vel febris ſi velit ire comes.

Utrum

Utrum Prodigus, an Avarus magis noceat Reipublicæ?

ELEGIA.

PRodigus interdum Populo cenſetur amandus,
 Nempe in multorum commoda ſpargit opes.
Exoſus Populo ſemper cenſetur Avarus,
 Multorum damnô nempe recondit opes.
Audi quæ contra verax rerum indicat uſus,
 Quàm ſit deterior Prodigus, inde ſcies.
Pluribus hoc vitium vitiis turgere videmus,
 Nam gula jactat opes, alea, luxus, amor.
Abſumptis opibus, vitii ſitis improba reſtat;
 Prodigus hinc inhiat, quod malè perdat adhuc:
Tunc & avaritiæ ſordes habet; undique raptat,
 Expleri ut vitii multa vorago queat.
Non rarò hinc luget clades Reſpublica magnas;
 Pauper, luxuries peſſima in urbe lues.
Sic in diſcrimen Romam adduxere Nepotes,
 Facti inopes vitiis, hinc Cathilina rapax.
Magnifici ſpeciem malè cautis Prodigus offert,
 Et ſic fronte magis decipiente nocet.
Turpis Avarus habet ſordes in fronte patentes,
 Illico deſpicitur; ſic nocet ille minùs.
Quod ſibi de victu demat, ſibi demat honores,
 Tunc ſibi, non aliis ſponte malignus obeſt.
Se ſe humilem præbet, nemo eſt urbanior illo,
 Quodque valent nummi, verba valere cupit.
Non ſequitur lites fugiens diſpendia litis,
 Triſtis eum terret, ne violenta paret.
Prodigus utendo, ſervando excedit Avarus;
 Stultum eſt non uti, perdere flagitium.

Mala opinio circa Honorem.

ELEGIA.

SPlendet honor doctis, quamvis fumum eſſe fatentur,
Eſca eſt magnanimis, ſit licèt eſca levis.
Sit licèt inconſtans, eſt grata potentibus aura,
Virtutis ſæpe eſt umbra, ſed umbra fugax.
Ultimus exuitur tamen hic ſapientibus error,
Fortibus hic flagrat morte luendus amor.
Huic labor à Muſis, ſanguiſve à Marte dicatur,
Hunc quærunt nummi, carmina, bella, togæ.
Dicitur æternus, quaſi nulla hunc tempora lædant,
Poſt ſera has etiam fata paramus opes.
Sic damus extinctis laudes, iſtoque videmur,
Cùm jam non erimus, munere poſſe frui.
Sed fruſtra æternæ pulchra hæc mendacia famæ
Exercent magnos tot per acerba viros.
Noſter ut humanis abſceſſit ſpiritus auris,
Iſta levis pariter nominis aura perit.
Quod ſi tantiſper tenuis rumuſculus errat,
Ultra lethæum non ſonat ille vadum.
Quid mihi ſi tribuant, ubi jam non ſentio laudes
Optatas, ubi tunc ſentio, flamma luat?
Moribus at prodeſt: quamvis ſit vana cupîdo,
Eſt multis etiam fraude paranda ſalus.
Virtutem ut quærant omnes, Deus æquus amavit,
Uti ſed vulgus neſcit amante Deo.
Opprobrii plerique metu mala turpia vitant,
Multi, quòd ſit honor dulcis, honeſta gerunt.
Formandus tamen eſt ſapiens, licèt optima rara
Hæc

Hæc quoque ni fierent, optima nulla forent.
Curet virtutem ſapiens, nil curet honorem:
Negligit hunc ratio provida, ſancta fugit.
Hunc levis ambitio ſæpe infeliciter optat;
Si fugiatur honor, ſplendet honore fuga.
Si famam nolis, nolentem fama ſequetur;
Quæ venit invitis gloria, pulchra venit.
Sed ne dum ſpernis, cupias ſprevisſe videri;
Hic quovis faſtu turpior aſtus erit.
Attentè eſt omni purganda modeſtia faſtu;
Qui tumidè laudes deſpicit, intus amat.
Vult laudem augeri qui laudibus obſtrepit ardens;
Has veluti placidum flumen abire ſinas.
Eſt in ſpernendo quandoque ſuperbia plauſu,
Spernendis etiam plauſibus eſto pudor.
Ipſa etenim virtus amat eſſe modeſta modeſtè,
Eſſe intus cupiens ſic timet eſſe palam.
Ne fingas: fucum nam rubra modeſtia neſcit,
Scit ſolùm ingenio pulchra rubere ſuo.
Quamvis virtutem ſimulent mille arte colores,
Hanc decet à vero, nullus ab arte color.

In rerum novarum ſtudioſos.

EPIGRAMMA.

GRatia non ſemper rerum eſt quærenda novarum;
Non eſt ſana novis ſemper anhela fames.
Delicias mutant ſtomacho faſtidia læſo,
Vel poſt mutatas non quietura dapes.
Infligit tentata graves Reſpublica pœnas,

Si novit rebus quem ſtuduiſſe novis.
Sic ſcelus, & morbus præſentia quæque recuſant,
Eſt ſaltem levitas, quæ nova ſemper amat.
Ergo ne deſit gravibus conſtantia Muſis,
Nil ſubitò magnum: pulchra paranda diù.

Plùs nocet doloſus amor, quàm odium profeſſum.

EPIGRAMMA.

ME ſyncerus amet qui ſe declarat amantem,
Ne ſit amicitiæ noxa retecta fide.
Nam bello manifeſta ſuo minùs odia lædunt,
Quàm tectus placidâ fronte doloſus amor.
Sic nocuere magis, quas celant æquora, ſyrtes,
Quàm ſcopulus fractis qui ſonat altus aquis.

Marmorea Niobis ſtatua.

EPIGRAMMA.

VIxi olim Niobe; fecerunt Numina marmor:
Me vivam reddit marmore Praxiteles.
Nil refert, quòd ſenſus abeſt; & abeſſe decebat,
Numina quòd læſi, fœmina quòdque fui.

In

In idem,
EX JULIANO ÆGIPTIO.

EPIGRAMMA.

VEra tibi miſeræ Niobes offertur imago;
Quali natorum pertulit ore necem.
Quod ſi ſenſus abeſt, ne tu damnaveris artem;
Fœmina cùm fuerit, debuit eſſe lapis.

AD AMICUM,

Ut ad eum, in villâ degentem, epiſtolas mittat.

ELEGIA.

TE ſalvere meis, oh Vir doctiſſime, verbis
Hæc jubet immodico garrula charta metro.
Quærimus, ut loculis arrideat alea veſtris,
Quid rerum vacuâ ſolus in urbe geras?
Exundet ne lacu felix vindemia veſtro,
Villicus & veteres poſcat ab urbe cados?
An reddat mutuum, mutuum qui ſumpſit Amicus,
An tibi cum nummis gratia parta perit?
Scribe, quibus recreent te læta inſomnia viſis,

Quæque emis in cœnam curet an arte Coquus?
Collige rumores, verbosâ ut in urbe feruntur,
Hos ſcribe, & dubiam ne vereare fidem.
Scribe quod & garrit per compita vana Popellus,
Quidquid & ante focum veſtra loquatur Anus.
Syllaba quæque tuis veniet ſignata tabellis,
Pluſquam Romanas afferet hiſtorias.
Illud adhuc peterem: interdum reminiſcere noſtri;
Tantùm ſed noſter non ſibi ſumit amor.
Sed tu ſi facies, illudque adſcripſeris unum,
An qua tuum ſubeat pectus imago mei,
Litterulis paucis hæc otia noſtra beabis,
Delicium noſtri pagina ruris erit.
Sæpiùs hæc gaudens relegam, validiſque tabellis
Noſter, & in tuto, credo quieſcet amor.
Tum mihi de doctis totus verſabere chartis,
Hôc licèt infixus pectore ſemper ades.
Sed licèt hoc plenum dulci ſit imagine pectus,
Divinum ingenium mens mea nullà cupit.
Ergo à me caros mihi fas eſt ſumere vultus,
Sed doctam mentem mox tua charta feret.

Poetarum infelicitas.

ELEGIA.

MEndicet triſti plorans ſub ponte Poeſis,
Non obolum doctæ barbara turba dabit.
Irrident ultro: hoc miſeris ſuper omnia durum,
Sæva eſt in ſummis ſanna ferenda malis.
Quærent, anne ſatis ſylvâ, ſat fonte levarint

Lau-

Laurea baccha famem, caſtalis unda ſitim?
Muſæ nulla malis pietas, ut ſponte paratis,
Illa infœcundum ſponte Helicona colit.
Quando aliis mala noſtra dolent, ſunt mitia nobis;
Nulla cui pietas ingemit, ille miſer.
At tandem laudant: votorum hæc ſumma Poetis,
Tot miſeri ærumnis munus inane petunt.
Munus inane petunt, munus non utile vivis,
Non dulce extinctis, munus utriſque nihil.
Aſthoc quàm parcè, quàm dirâ à fronte ſuperbum!
Quàm laus ſæpe ſolet ferre maligna notam!
Quot ſunt, ut laudent, & ſæva, & ſtulta ferenda.
Laudari hôc pretio turpius opprobrio eſt.
Laus hæc magnanimum ſuſtollit ad æthera Vatem,
Quòd nulla expectans præmia dulce juvat.

Antiquitas,

AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ.

EPIGRAMMA.

AUſtria Saturni geſſit pia ſceptra vetuſti,
Principiumque probant aurea regna vetus:
Auſtriadum in thalamis Majeſtas nupſit Amori,
Sæcula cùm ſanctus prima bearet Amor.
Hanc tulit Imperiis ætas innoxia gentem,
Rurſus ut antiquam noſceret aula fidem.
Jam regnat culpâ ſtirps hæc antiquiùs ipsâ:
Hæc nato nondum crimine nata domus.

De

De Veritate, & Falſitate.

EPIGRAMMA.

ILlico falſa cadunt, emergunt tempore vera;
Falſa ſolent tenebras quærere, vera diem.
Incoſtans falſi facies, veri unica ſemper:
Per ſe ſtat verum, falſa nec arte manent.
Omnia reſpondent veris, cuncta obſona falſis:
Conſona vera animis, falſa nec ipſa ſibi.
Falſa parit formido, ſcelus, dolor, impetus, error:
Vera ferunt virtus, tempora, Muſa, Deus.

Virtus quandoque à Popello malè habita.

ELEGIA.

QUamvis arte carens, magnus ſibi quiſque videtur
Bellator, Vates, Muſicus, & Medicus.
Quilibet è trivio Tonſor, licèt optima gaudet
Carmina non doctæ figere mentis acu.
Scamnis ille ſedens, ubi plebs ſolet infima radi,
Immeritum critico forcipe tondet opus.
Hoc, inquit, friget, tumet hoc, hoc nocte ſepultum
Cimmeriâ, hìc furti fraus manifeſta patet.
Hoc jacet, hoc hæret, dubio hoc ferit aera ſenſu,
Hoc non Hetruſci pollinis arca ferat.

Eſt

Eſt fatum, à turbæ pendêre poemata nutu:
  Ad Vulgi petulans. *Non placet*, illa cadunt.
Hæc Cerdo ligulâ Populo ridente coronat,
  Syllaba calloſos mittitur in digitos.
Et faber ad propriam verſus explorat amuſſim;
  Sutor ad obruſſam metra venire negat.
Jam verò exploſo quàm dira irriſio Vati,
  Turba quot inſontem mulctat inepta modis!
Ille negat ſcombris dignam fore carmina veſtem;
  Hic negat à cæco paupere digna cani.
Sæpe in ridiculos mutatur littera ſenſus,
  Et miſerum in ſe ſe dicere amara jubent.
Ergo ærumnoſis juvat impalleſcere chartis,
  Stultæ ut cenſuræ turpia damna feras?
Tanti eſt damnari? Quid ſi damnaris iniquè?
  Quamvis à ſtulto judice turpe cadis.
Officium eſt Vatis docto, indoctoque placere:
  Hoc ſummum, at rarò contigit, artis opus.

Amor punctus ab Ape.

Ex Anacr.

EPIGRAMMA.

Ruribus hiblæis incautum læſit Amorem,
  Quæ inſidioſa roſis fortè latebat Apis.
Tunc ille ad Matrem: Pereo; ſuccurre dolori:
  Oſtendit dextram; dextra tumebat acu.
Reſpondit Cypris: de te jam diſce Cupîdo;
  Quàm pejora facis vulnera, ſæve puer!
Ut te pungit Apis, ſic nos Amor improbe pungis;
  Cæca voluptatis ſic tegis arma roſis.

Amor

Amor proditor.

Ex Anacr.

EPIGRAMMA.

MUltâ nocte manum cum tangeret Urſa Bootæ,
  Corpora mulcebat feſſa labore ſopor.
Audio pultari valvas, clamore puellus
  Intrò ſe admitti poſtulat, imbre madens.
Admitto: implevit viſum pulcherrimus alis,
  Cæſarie, pharetrâ, cætera nudus Amor.
Nulla licèt nimbo ſplenderet Cynthia cæco,
  In vultu, ut poſſem cernere, lumen erat.
Ante focum propero madidos ſiccare capillos:
  Mundo luto, foveo ſyndone, cœna datur.
Tunc ille: experiar, pluviam num ſenſerit arcus,
  An nervo humenti tela vibrata volent.
Me ferit, riſuque abiens poſt vulnera, dixit:
  Eſt arcus validus, tu tua damna fleas.
Sic ſæpe imprudens Pietas admittit Amorem,
  Mox ſerò officium corde flagrante dolet.

In fine voluptas.

Ex Auct. gr.

EPIGRAMMA.

SCandentes Helicon prærupto calle fatigat,
Aſt ibi Caſtaliis labra beantur aquis.
Ardua ſit quamvis ſapientia, ſcandere nixos
Grata in jucundo vertice Muſa beat.

Timor mortis quandoque ipſa mors eſt.

Ex Anacr.

EPIGRAMMA.

HErmogenem Medicũ Diophantus ſidera noſcens,
Vitæ vix menſes dixit habere novem.
Reſpondit Medicus ridens: tu videris aſtra;
A' me fata quidem ſunt breviora tibi.
Dixit, & arteriam tetigit: Diophantus obivit:
Eſt mors à Medicô, quàm Jove certa magis.

Ana-

Anacreon enumerat amores ſuos.

EPIGRAMMA.

SI quot ſint foliis plantæ per rura comatæ,
Quantaque ſit ponti conſtat arena tibi:
Tu quoque noſtrorum ſis nomenclator amorum;
Non horum populus cordis in urbe minor.

Amor punctus ab Ape ad Matrem confugit.

Ex Theocrito.

MElla per Imettum furanti nuper Amori
Pungit Apis ſummos digitos: dolet ille, pedemq;
Incutiens terræ, citus avolat; inde dolorem
Exponens Matri, queritur, quòd parva Meliſſa
Tam fera divinæ feciſſet vulnera dextræ.
Tum ridens Cypris: quid Apem miraris inique,
Tu quoque cùm facias vel maxima vulnera parvus.

Superbia depreſſa.

Ex Antiphil. Floril. lib. 1. cap. 71.

EPIGRAMMA.

Quid prohibes torrens à tempeſtate ſuperbus;
Quos tua parva priùs pertulit unda, pedes?
Ebrius impuro nigris de nubibus amne
Nympharum indignam Numine volvis aquam.
Te ſiccum à Phœbo cernam: Diſcernere novit
Nativum impuro flumen ab imbre Deus.

Æthnæ deſcriptio.

CARMEN.

Æthna nives ſervans, totus quibus albicat annus,
Ignis inexhauſti vomit altis flumina ab antris,
Flumina flagrantis fumi, & ſub Sole nigrantis.
At noctu illuſtris metuenda volumina flammæ,
Avulſos ſcopulos, ingentia viſcera montis
Terrifico tonitru Siculum jaculantur in æquor.
Vulcani incluſi vis toto carcere ſerpens,
Ignivomo, & multo ſyphone exundat in auras,
Auditu horrendum monſtrum, horrendumq; videnti.

Ruri

Ruri pro quiete animi extructo.

INSCRIPTIO.

HÆc requies oculos dum urbano pulvere purgat;
Claré, quantum inſit rebus inane, vides.

Vel.

Eloquio pacis per amica ſilentia Villæ
Hìc tecum turbâ diſce tacente loqui.

Vel.

Hìc ſedeas, non deſideas, hîc optima cures,
Et res æternas hìc feriatus agas.

Vel.

Si brevis hæc Ruris requies beat optima feſſum,
Oh quantùm æternâ pace beandus eris!

Vel.

Ver pulchrum ſit, opima ſeges, vindemia dulcis.
Quid ſi turbatô in pectore ſqualet hyems?

Vel.

Quid cupis immenſis extendere finibus arva?
Non modus eſt agro, ni modus eſt animo.

Vel.

Sedula pax Ruris pro Cœli pace laboret:
Huic æterna quies continuanda brevi.

Vel.

Te Civem Cœli facient juſti otia Ruris.
Hìc ſolus ſoli congrediare Deo.

Con-

Contra elegiam, poſitam ſub numero 42., in quâ dicitur, vitam hominis infelicem eſſe.

DEFENSIO;

Deſumpta ex eodem Poſidip. lib. 1., cap. 23.

QUamlibet optato vitam: domus optima feſſis;
 Affert imperium ſplendida, juſta forum.
Fruges fundit ager, veniuntque per æquora merces,
 Gloria Marte viget, pectora mulcet amor.
Cantabit peregrinus inops, habet omnia dives,
 Non hinc dira fames, non fugat inde latro.
Quæſitæ ſolantur opes, dant otia partæ,
 Paupertas ſummo non ruit ima loco.
Cælebs liber erit, gaudebit prole Maritus,
 Viva exempla ſui prodere dulce patri.
Sæpe etiam gaudet caruiſſe propagine conjux;
 Eſt minùs ut timeat, cui minùs eſt, quod amet;
Gratia ſublimis multos beat, ira potentum
 Non petit in ſancto vota modeſta lare.
Sic votis optata bonis poſſeſſa juvabunt,
 Cui ſit honeſta ſitis, potio dulcis erit.
Vivunt qui ſapiunt utrâque in ſorte beati;
 Non timet obſcurus, nobilis alta petit.
Mollit dura uſus, ſpes auget mollia conſtans,
 Unde carent luctu triſtia, læta metu.
Otia delectant, curata negotia proſunt;
 Sentit ubique animus, quod moderatus amet;
Eſt infans curis vacuus; robuſta juventus,

Ma-

Magna vir exequitur, mente ſenecta valet.
Vita Dei munus divino munere læta eſt:
Nos ipſo auctoris Numine fauſta juvat.
Moribus at noſtris mala fit; hanc ergo peroſus
Ah potiùs mores oderit iſte malos.

Ex Florilegio lib. 3. cap. 28.

EPIGRAMMA.

EGregiè munita priùs Sparta horrida bello,
Fumare Eurotam Martis ab igne videt.
Jam nec tecta manent, avium nec fœtibus arbos,
Ut neque poſt tantas umbra ſuperſit opes.
Illa quidem lacrymis petit à victore ſalutem,
Sed lacrymas miſeræ non lupus audit ovis.
Spartam ſola poteſt virtus Spartana tueri;
Quæ jam libertas ſupplicat, hæc periit.

Spartani punita ignavia.

Ex eodem.

EPIGRAMMA.

DUm leges violat Damatrius, inclyta Mater
Vix Lacedæmonium vera Lacæna necat.
Mox ferrum ponens, dum dente infrendit acuto,
Inſe-

Infelix alvo, pectore fortis ait:
Pars indigna mei morere, ac abſcondere Dite:
Quem non agnoſcit Sparta, nec ipſa feram.
Non Spartæ nutrite peri; mihi vulnera reddant;
Quòd malè Spartani ſanguinis ipſa dedi.

IN SCIOLUM.

Ex auct. gr.

EPIGRAMMA:

NOn, quòd quinq; feras monſtroſa, atq; Attica verba;
Præditus egregii Rhetoris arte pates.
Quamvis Thæonii ſumas verba abdita Vatis,
Nunquam ſic fundens carmen, Homerus eris.
Nil dicis, niſi clara ſubeſt ſententia dicto:
Semper inane ſonat, quod ſinè mente jacis.

Cicadæ encomium.

Ex Anacr.

EPIGRAMMA:

OH te felicem fœcunda per arva Cicadam;
Quæ ſatura exiguo rore, beata canis!
Latè agris, quoſcunque vides, regina potiris;
Nam quæcumque vides, ſunt tibi viſa fatis:

Non

Non fruges lædis, cunctis dilecta Colonis;
Felix qui nulli cogitur eſſe nocens.
Dulcis es Agricolis vicinæ nuncia meſſis:
Gratus in arbuſtis eſt tibi Muſa labor.
Non te expectat hyems, nec frigora ſæva nocebunt,
Cum tibi ſit dulci tempore dulce mori.
Oh miſerum, ſervata malis cui vita ſuperſtes!
Eſt hoc vivaci morte perire diù.

Ex Antipat. lib. 1. c. 38.

EPIGRAMMA.

Eſt caulæ cuſtos parvo placabilis Hermes,
Cui ſunt lac purum, vel pia mella ſatis.
Non ſic Alcides: hic pinguem poſtulat agnum;
Multaque devotæ munera poſcit ovis.
At fugat inde Lupos: caulæ quid denique prodeſt;
Armentum cuſtos deſtruat, anne Lupus?

Vinum aquâ miſcendum.

Ex græco Auctore.

EPIGRAMMA.

Naſcenti Baccho flammam extinxere paternam
Nymphæ, per Nymphas ſalvus ab igne puer.
Hinc illas & adultus amat, niſi lotus ab illis,
Ecce iterum flagrans noxius ardor erit.

Sor-

Sortis viciſſitudines.

Ex græco Auctore.

EPIGRAMMA.

DUm laqueum ſibi nectit inops,prope detegit aurū;
  Abjecto laqueo fert recreatus opes.
Mox non inveniens aurum qui condidit ante,
  Inventum laqueum nexuit ipſe ſibi.
Ad poſitum properans aurum mortem invenit alter;
  Ad mortem properans invenit alter opes.
Sors omnis potis eſt, aut dira, aut proſpera verti:
  Nil deſperandum, cuncta timenda Viris.
Scilicet extremis inſtat reſolutio rebus:
  Expectet felix triſtia, læta miſer.

In ſtudiorum initio.

PRÆFATIO.

JAm rivos aperite iterum, jam prata ſitire
  Incipiunt, poſcunt gramina rurſus aquas.
Permeſſus rurſum Cyrrhæos irrigat hortos,
  Impleat ut vacuam Flora reverſa manum.
Excitat Agricolas Aſcræis ruribus annus;
  Muſa retentet opus, jam feriata ſatis.
Juſta quies recreat, nimiùm producta reſolvit,
  Commendat rediens otia parva labor.
Sunt requies, & opus vicibus penſanda modeſtis:
  Servat utrumque modus, perdit utrumque nimis.
Aſſiduus nimiùm conſumit aratra Colonus;

F Si.

Si nimiùm ceſſent, illa rubigo terit.
Res redeunt, repetitque forum tria verba Clienti,
Cancelli rabulæ voce recente ſonant.
Omnia cùm clament, Muſas, arteſque loquendi,
Quarum ſtat pretium voce, tacere nefas.
A' muſis pariter dicenda, & agenda docemur,
Nec niſi jam docto pectore lingua ſapit.
Hinc fandi flumen, ſapiendi hinc denique fontes,
Hinc juſti, hinc docti moribus, arte ſumus.
Muſa colit mores, pulchras Muſa edocet artes;
Hæc mente, ingenio non ſinit eſſe feros.
Muſa colit mentem, quæ pars celſiſſima noſtri,
Muſa voluntatem, Gentibus unde ſalus.
Moribus hæc vita eſt, hæc vita eſt artibus alma:
Ceſſare in vitæ munere, funus erit.

Accidentia in Senatoris aulâ.

CARMEN.

PRagmatici toto ſpargunt Helicone libellos,
Mirantique canunt triſtiſſima jura Clienti.
Dumque ibi committit cupidas contentio mentes,
Promiſſa invitos fugit victoria nummos.
Obſidet ad multam noctem ſacra limina Patrum
Cauſidicus; tandem ſeras admiſſus in aulas,
Mox oblituras onerat ſcriptoribus aures.
Ingens auctorum nomenclatura citatur,
Tractatus, caput, articulus, concluſio, punctum,
Falſis multa locis, multa apparentia nullis,
Plura extra cauſam, plura adverſantia cauſæ
Jura, quibus Latiæ læduntur jura loquelæ,

Quin & grammaticas paſſim violantia leges;
Quaſque expectavit, dicendo ulciſcitur horas.
Excipit objectas chartas ardentiùs alter,
Nec vult auctorum turbam recitaſſe minorem.
Bella foris laſſi qui expectant longa, queruntur
Fuſiùs acturi, ſed crebrò aulæa movendo
Spem facit inſtantis, qui ſervat ad oſtia, finis.
Intus rixa calet: pariter turbantur utrique:
Et velut Andabatæ ferit hic clamoribus euros,
Ille ferit zephiros; magis hoc diſcordia gliſcit,
Quòd neuter videat, quid ab ipſo diſcrepet alter.
Inter ſe obturbant: vocem cohibere Senator
Imperat, hi clamant, pallent ad jurgia partes,
Cauſidico faciles vendente Clientibus iras.

Quod reliquum eſt, deſideratur.

Geſticulatoris deſcriptio.

CARMEN.

Ludius argutæ vendens miracula dextræ,
Sis licèt intentus, quot ſenſum erroribus implet!
Hic jubet è chartis, quibus alea luditur, unam
Sorte trahas, ſolus videas, tectamque reponas
In reliquas. Facis: ille hanc faſci admiſcet, & inſtat,
Quo faſcis numerô mandes tibi reddat eandem.
Mandas, commiſces, numerô chartam invenis illo.

Poſtulat hanc rurſus videas, mox pectore condit,
Et ſimul hanc dicas, in quam mutarier optes.
Dicis, & inſpectas. Formam gerit illa petitam;
Mox alias repetis, facies it charta per omnes.
Idem chartarum faſcem jacturus in altum,
Quæ ne trabi figatur? ait: certa una vocatur.
Ille jacit ſparſim; populo mirante vocata
Charta lacunari, reliquis recidentibus, hæret.
Vaſibus inde tribus ternas, quas ſubiicit arte,
Ille tegit glandes, per virgam vaſe rejecto,
Oſtendit binas, unas, & denique nullas.
Vaſa iterum ſtatuit, redeunt ſub tegmina glandes.
In loca juſſa putes magicis ut ab artibus actas
Subtus pertuſâ glandes diſcurrere menſâ.
Et ne inter digitos illas quiſque arguat abdi
Arte inter manuum parva intervalla micantes,
Suppoſita invenias facit ova, & grandia poma,
Quæ nequeat toto quivis abſcondere pugno.
Vas milio plenum panno obtegit, inde retectum
Vas vacuum cernis, milium femoralia replet.
Anulus obtegitur telâ, ſummiſque tenendus
Traditur in digitis, ſimul hinc, atque inde bacillum,
Ne immitti poſſit quicquam, jubet ille teneri;
Mox telæ partem, quâ conditur anulus, arctæ
Advolvit mediæ virgæ, ſubitòque ſolutâ
Anulus excuſsâ jam non comparet in illâ,
Cernitur in virgâ, licèt hæc teneatur utrinque.
Cum limphâ ſeptem haurit acus, mox ſingula mirè,
Quâ tu parte velis nudati corporis, exit.
Ipſe trahis manibus, teſtantur vulnera tractas.
Ingentem lymphæ, gurges velut, ebibit urnam,
Expuit hinc vittas, quo quiſque colore petivit,
Vina, oleum, vomit ille roſas, ſaxa, æra, catenas,
Quæ vix ſepteno ſimul ore voraverit Idra.
En pice commixtum coquit in ſartagine ſulphur,
Hocque

Hocque bibit flammans, flammæ illudente cachinno;
Tum lingua auditur frigi, non faſſa dolorem,
Cernis & illæſis efflari incendia buccis.
Jam totus procumbit humi, ventrique ſupino;
Quas vix ferre duo poſſint, imponitur incus.
Incudi ferrum cædendum; huic malleus ingens
Sæpiùs incutitur, toto vix Bronte vibrandus.
Horrent ſpectantes, magnis tremit ictibus aula
Hic clamat: validè tundant, ridetque timentes.
Avertunt oculos cuncti, ſignôque ſalutis,
Tanquam Dæmon agat, fraudes Cacodæmonis arcent.
Sed nihil hic magicum eſt, agilis manus omnia fingit,
Magna patrans oculis facili mendacia ludo.

Tercenti Spartani occiſi.

EX BASSO.

EPIGRAMMA.

FOrtes cymba Viros portat lethæa trecentos;
Clara cohors, vinci neſcia, Marte ſata.
Spartanam agnoſcit claſſem qui præſidet Umbris;
Quippe adverſo omnes pectore vulnus habent.
Mox ait: egregii tandem requieſcite Manes;
Vos decet, Elyſium quæ colit, alma quies.
Dulcia poſt obitas ſuccedunt otia curas,
Et bene perfunctos munere juſta beant.

Veris deſcriptio.

ELEGIA.

CŒleſtem Taurum redimivit Flora corollis,
Sic ſacer ornandus flore juvencus erat.
Cùm nec aratra ſciat, tamen implet meſſibus arva,
Terra hôc in Tauro ſentit amata Jovem.
Jam Cereris ſpes alma viret, ſignatque ſerenos,
Candens in viridi palmite gemma dies.
Quercus cana priùs, nunc obliviſcitur annos,
Et vetulæ criſpat lenior aura comas.
Hic Hyacinthus habet græcos in fronte dolores,
Hìc ſe Narciſſus gloria fontis amat.
Floribus inſcribit variis hanc Flora poeſim,
Dulce examen apum murmurat, iſta legens.
Jam nemus agnoſcunt ſtabulis armenta relictis,
Commendant ſtabuli tædia longa nemus.
Conſtat & à brutis clementi gratia Cœlo,
Et læto vernans in grege floret amor.
Ingeminat Philomela modos, dubitantque Coloni,
Lugeat, an cantet, non dubitant, an amet.
Tantis deliciis quòd Fillis ſæva repugnet,
Miratur facili carmine Paſtor amans.
Pulchrior hunc audit, roſeo dum ſurgit Eoo,
Mitibus & fatis afficit aſtra Venus.
Vela vocant auræ, proras trahit uncta refectas
Machina, & in viridi littore fervet opus.
Æthra oblectat aves, mare nautas, terra colonos,
Suſpirat Zephyrus, Clorida, Cloris adeſt.
Sic rident gravidæ promiſſa virentia terræ,
Hôc vultu ſpondet munera Mater amans.

In

In ſtudiorum initio.

PRÆFATIO.

SAlvete, oh reduces Muſæ, mea dulcia fata,
  Præſidium ſortis, deliciumque meæ.
Vos decus ingenii veneror, vos cordis amores,
  Vos mihi curarum triſte levatis onus.
Undique præclaros mihi jam peperiſtis amicos,
  Qui celebrant muſas judice amore meas.
Et ſi tentaret me nominis ulla cupîdo,
  Per vos æternum nomina tempus habent.
Quòd ſi non aurum paritis, tamen illa paratis,
  Quæ mihi vult genius ſint potiora meus.
Nec genius fortaſſe malus; non omnia in auro:
  Quid, modò pauperies abſit, amantur opes?
Quot conſtat curis magni cuſtodia cenſus!
  Quàm multis ſervit ſors opulenta malis!
Margites quoque dives erit, ſi faverit Hermes,
  Non cuncta ut faveant Numina, doctus erit.
Docta quies potior cenſu contenta modeſto,
  Quam ſancti mores, quam pia Muſa beat.
Adjungunt Muſæ ſanctos ad carmina mores,
  Innocuos faciunt, & ſinè fæce viros.
Non capiunt Phœbum mendax, immitis, avarus,
  Nec quos inquinant alea, gula, Venus.
Non fert excelſas mentes abjecta libido,
  Magnus & in vitiis eſſe Poeta nequit.
Muſa procax magnis nunquàm fuit apta canendis,
  Et vinum, & Venerem ſobria Virgo fugit.
Quot fugiunt juvenes, dum veſtris artibus inſtant,
  Et Bacchi, & Paphiæ turpia damna Deæ?

Veſtris Pierides ſtudiis æterna docetis,
Et nos divinæ ſortis Apollo monet.
Ergo redite bonæ, veteri redeatque Clienti
Integra poſt longas gratia veſtra moras.
Ebria dum dudum furiit per compita Mænas,
Et venia inſani Bacche furoris eras,
Non licuit ſacras Muſas miſcere furori,
Nil commune illis turpe lupercal habet;
Virginibus Pindi fuit hæc reverentia puris,
Ad crotalum Martis plectra Helicone tacent:
Sed mihi non fuerat malè ſana licentia tanti,
Et doleo veſtris abſtinuiſſe choris.
Quis careat, caris niſi cum mœrore Deabus,
Qui modò Pierias noverit ante Deas?
Cui ſe in conſpectum dederit pulcherrima Clio,
Quem modò Caſtaliæ vena bearit aquæ?
Ergo dum redeunt poſt tempora longa Camenæ,
His properet toto pectore quiſque frui.
Aſſiduo nos damna moræ penſabimus uſu;
Dulcior in reditu dulcis amicus adeſt.
Si quis longa ſuos poſt intervalla reviſit,
Sermone, amplexu non faticatur amor.
Cùm fuerit tam longa ſitis, jam flumine pleno
Caſtalis arentem proluat unda ſitim.
Oblectet viles animas bacchata libido,
Auctus ego ingenii lumine lætus ero.
Senſibus in miſeris nulla eſt ſyncera voluptas,
Sed levis, ægra, fugax, turpis, amara, nocens;
Illa parit magnos poſt gaudia parva dolores,
Quin dum blanditur ſenſibus, ipſa dolet.
Eſt hæc brutorum votum, ſed Phœbus honeſtat
Delicias guſtu nobiliore meas.
Gaudeat ediſcens mea mens; quâ parte beatis
Cognata eſt ſuperis, eſſe beata velit.

Inge-

Ingenia excolenda.

ELEGIA.

EXcolat ingenium ſtudiis, cui contigit ingens;
Hæc cumulanda dedit magna talenta Deus.
Fœnerat hæc Cœlum, quæ plura induſtria reddat;
Has qui non auget fœnore, perdit opes.
Mox oh quàm doleat damnum, quod inertia fecit!
Impotis eſt major jam potuiſſe dolor.
Quin magis aſſiduum poſcit mens inclyta cultum;
Hæc ſolet indomitis viribus eſſe furor.
Degenerant magnis vitiis magnæ indole mentes;
Ni Muſa, & Virtus implet, Erinnis agit.
Semper in alterutram vergant ingentia partem,
Utramque ingenti pondere verſa premunt.
Nil modicum à magnis animis quòcumque ferantur;
Optima ni fuerit, peſſima meſſis erit.
Nati ergo Muſis, Muſis & adeſte colendis,
Ne vim materiæ deſerat artis opus.
Proderit ad mores: odêrunt turpia Muſæ,
Et pura à fœdis pectora Phœbus amat.
Dotibus ingenii fruitur cognata voluntas,
Stultitiam ſceleris docta Minerva cavet.
Quin niſi virtutem, cœlique optata juvarent,
Ipſa hæc doctrinæ munera ſtulta forent.
Omnia nos forment Cœlo, quò tendimus omnes;
Hoc opus eſt hominum, cætera luſus inops.
Terrena hæc ſtudiis ſunt indigniſſima noſtris;
Implentur ſolo pectora noſtra Deo.

EPIGRAMMA.

QUi Terræ, Pelagique vias commutat eundo,
Factus Telluris nauta, Mariſque pedes,
Hunc Mars Spartanus tercentum ſuſtinet haſtis.
Vos Montes, & vos æquora nonne pudet?

Durando vincere,

Ubi verum ſit, ubi falſum.

EPIGRAMMA.

ASpera principiò Virtus beat optima finem;
Sed Vitii cruciant ultima, prima placent.
Alcidæ longos objecit terra labores,
Quem tandem ad gratos ſuſtulit Œta Deos.
Sardanapalus opum dives, luxuque beatus
Atroci clauſit mollia regna rogô.
Deluſi invidiam meriti non ſuſtinet Æther,
Liberat aſtrorum laurea juſta fidem.
Felici culpâ cœlorum fama laborat,
Et ſtat punitô crimine cauſa Jovis.
Ergo virtutis tandem eſt conſtantia felix:
Definit obſtinans in ſua damna ſcelus.

Pro

Pro Virtutibus adipiſcendis, Sapientiæ ad Hominem Allocutio.

HÆc quæcumque vides, piſces maris, altile terræ,
Poma, metalla, pecus, fluvios, arva, æthera, ſylvas,
Subdita cuncta tenes, ſuperis vix mentibus impar.
Hæc dat Numen amans, æterno ut honore coronet,
Interea toto curans tua gaudia mundo.
Imò quæ ipſa tibi tam dura videtur honeſtas,
Hoc agit, ut generi humano ſit tuta voluptas.
Furibns, aut mœchis ubi ſit permiſſa libido,
Et mortis pavidus ſi Miles deſerat almæ
Præſidium patriæ, vincat violentia juſtum,
Temperet à nimiâ nunquam dulcedine ſenſus;
Tunc genus humanum miſeris cruciatibus omne
Arderet, jucunda viros pax nulla bearet.
Nulla quies animis, cum nil ſit dulcius illis.
Nulla fides dictis, nec amor conjungeret urbes,
Diffiſus ſemper ſocio, infelixque cavendo.
Eſt culpa ærumnæ ſemen, vitiumque doloris;
Una beat virtus, jucundorum optima cuſtos.

Ne pluſquàm oportet, ſapere cupias.

ELEGIA.

Finitas vires quid mens nimis anxia vexas;
  Omnibus & princeps artibus eſſe cupis?
Non hìc expletur ſitis infinita ſciendi:
  Eſt hæc divino fonte levanda ſitis.
Se ferat iſta fames, menſis ſervanda beatis;
  Et ſua ſuſtentet ſenſa jejuna fides.
Interea ingeniis vitanda ſuperbia noſtris;
  Eſt hujus ſedes criminis ingenium.
Hæc animi properans invadit protinus arcem;
  Clades æthereis mentibus inde fuit.
Promiſſa, & primos patres doctrina fefellit:
  Hæc prima humanum perdidit eſca genus.
Innatum noſtræ votum eſt excellere menti;
  Hæc regina animi culmen ubique petit.
Sed Deus huic ſtatuit fines, hos denique noſcat,
  Hos ferat, hos & amet, quos dedit Auctor amans.
Mens caveat proprio ridenda excidere metro,
  Nam ſolet in modulo quidque placere ſuo.
Oh pulchra eximiis adjuncta modeſtia Muſis!
  Oh non in tenui mente decôra minùs!
Sed raro tumidis hæc gratia mentibus afflat,
  Quiſque aliis neſcit plurima, pauca ſibi.
Ingenii nimiùm pungit verecundia cæci,
  Hanc ſibi nec noctem credere turba ſolet.
Tu ſerto, & proprias verax fateare tenebras:
  Quantum erit in faſsâ nocte repentè jubar!
Ut ſapias altùm, quid mentem tollis inanem?
  Qui facilè ingenio cedit, is alta ſapit.

EPITAPHIUM GERMANICI

Ex incerto auctore,

Deſumptum ex gr.

EPIGRAMMA.

PArce hoſpes tumulo: Cæſar Germanicus hic ſum;
Sæpe etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quòd ſi quem tumuli nihil hujus gratia tangit,
At moveat; patriâ fraude quòd hic jaceo.
Sed jaceo, quamvis non vitæ, & plenus honoris,
Hôc uno ingratus, quod genui patriæ.
Teſtati mores lacrymis plebeſque, patreſque,
Hæc ſunt ſynceri judicia ingenii.

Divitiarum bonus uſus.

Ex Ariſt. doctrinâ.

EPIGRAMMA.

DIvitiis tribuendus honor ſinè crimine partis;
Naturæque bonis eſt tribuendus honor.
Judicium dantis Cœli veneramur in illis:
In nummis laudem cura parantis habet.
Quid quòd virtuti ſunt inſtrumenta juvandi,
Atque hinc eſt Virtus ipſa decôra magis.
Qui venit ex opibus ſapientem ſplendor honorat;
Et rurſus ſapiens uſus honorat opes.

Deſiderium gloriæ, poſt mortem ſuperſtitis.

SCilicet acri adeò penetrat nos gloria ſenſu,
Ut ſurdo cineri ſperata, & nominis umbræ
Non audituros oblectet imagine laudis.
Quin magis oblectet, quam per ſua geſta nepoti
Tradit Avus moriens, ut adhuc fruiturus in illo?
Quod ſi divitiæ ſunt hôc quoque nomine dulces,
Quòd proles patrio ſuccedat ſplendida quæſtu,
Dulcius eſt certè, quòd honeſtâ in prole ſuperſtes
Durat patris honor, proprioque à ſtipite vivit.

De falsâ probabilitate.

QUi mare, qui meſſem ſpectatis conjicit aſtris,
Intima qui morbi, qui pacis, & omina belli,
Qui rerum caſus, cæcique eventa futuri,
Talibus id ſequitur, quod circumſtantibus actum
Sic plerumque cadit, ſimilique probabile caſu eſt.
Stultus, qui fluxis in rebus certa requirat;
Mentibus humanis fatum tegit alta caligo,
Ignotoque viris fluitant mortalia vento.
Eſt tamen eventis mos quidam. Hæc norma futuri.
Eveniet, cauſis quod ſæpe evênit iiſdem.

Homo expeditus, ideſt *diſinvolto*.

ELEGIA.

QUidã humiles vepres tendentẽ ad recta morantur:
  Non ſternit, prohibet pergere lentus obex.
Eſt, cujus pulchris pudor obſtat ruſticus auſis:
  Eſt pudor infirmâ fronte pudere nimis.
Aut ſibi nil fidens, frigenti & corde repugnans,
  Hoc agit, ut ſatagens nil operoſus agat.
Aut nimiùm famam nimiâ ambitione verendo,
  Ni decora hic ſperat maxima, nulla placent.
Nonnulli quid agant æternâ indagine quærunt:
  Iſti, quòd reputant plurima, pauca gerunt.
Occurrit ſemper trepidis quod tardet agentes,
  Et nullo expediunt fine quid expediat.
Conſiliis modus eſt. Incertè humana feruntur.
  Certa videre volens, quàm videt ille parùm!
Indigeſta alios perturbat copia mentis:
  Fundens confundit, copia luce caret.
Offuſas ſpecies dubii nullo ordine verſant,
  Eligere obturbans illa procella vetat.
Turbida dum poſſint ſubſidere, cura ſit iſtis
  Sedare ingenium, judiciumque pati.
Segnes, & timidos quoſdam natura creavit;
  Non tamen & propriâ ſponte jacêre velim.
Noſcere ſe malim, navos & tendere contra.
  Vincere naturam moribus aſtra dabunt.
Sunt quibus ingenium minus eſt, ſed rebus agendis
  Mens quoque non ingens, ſit modò culta, valet.
Quærere non ideò ceſſet ſibi lumen ab uſu.
  Prodeſt alta minùs, ſed magis æqua rei.

Tardat

Tardat quàm multos curta experientia rerum!
Magna audent ſoliti, parva timentque novi.
Sed minùs expertus magis experiatur oportet;
Dum faciunt fiunt pectore, & arte viri.
His magis ignoſco, qui prima adverſa tulerunt;
Creduntur caſus jurè timere pares.
Sed modò conſiliis tentes prudentibus, aude.
Eventa æterno linque regenda Deo.
Hos quamvis humiles vepres pede vincere prompto,
Eſt ſanè egregii, qui petat alta pedis.
Utilis ante alias Virtus, cunctiſque colenda,
Extremâ quòd opus perficit iſta manu.
Quid meditata valent, niſi mox prodantur in uſum?
Quid, niſi honeſta geras, cognita honeſta juvant?
Qui tamen hac præſtat, nondū eſt ſibi nomen adeptus:
Sola *deſimvelto* lexis Ibera vocat.
Fortaſſe *experiens* Latio ſermone vocetur,
Hoc ſed ab Hetruſco furfure nomen abeſt.
Hoc tamen Inſubricâ ſi fas conflare farinâ,
Hic quoque grammaticus, jam *Meneghinus* erit.
Certè cunctantem nos dicimus *Inſinciſſum*,
Nec ſanè hanc gemmam nominis Arnus habet.
Sed fateor falli, promptum quòd ad omnia Dantes
Ladinum à nobis dicere jam didicit.

Ex

Ex Philippo lib. 4. cap. 9.

EPIGRAMMA:

En furis & ſaxum Medæa, cor ardet ab irâ;
 In cædem ex venis marmoris ardor agit.
Te nec firma baſis retinet, jam prolis in actus;
 Si qua fides oculis, acta furore ſalis.
Artem miretur nemo, nec Colchidis iram.
 Zelotypus potis eſt ſaxa ciere furor.

Ex Arabio Scholaſtico lib. 4. cap. 9.

EPIGRAMMA.

PAſce oculos hoſpes: Celebris ſum vultus Elyſæ,
 Jam binis Lybiæ Regibus unus amor.
Sic jam pulcher eram, nec turpis amoribus illis,
 Quos tribuit mendax Muſa latina mihi.
Dum vixi, Æneas Lybicas non attigit oras,
 Inclyta temporibus Troja nec uſta meis.
Incubui in gladium ſublato fida Maritô,
 Ne foret in fratris lætus Jacba thoro.
De me quid magno dictaſti Muſa Maroni,
 Ut ferat inde meus crimina falſa pudor?
Ambitio ingenii dictat maledicta ſuperbis.
 Fœda eſt per mores gloria parta malos.
Oh ſcelerum vates tribuiſti turpia caſtæ,
 Ut tuus ille pius perfidus inde foret.

In eos, qui magno pretio comparant ſibi peregrinos flores.

EPIGRAMMA.

CUr tantâ externos flores mercede paraſti?
Nonne tibi in pratis pulchrior hortus erat?
Ah tibi cur miſerô longinquus floruit hortus,
Ut patrius motâ mente periret ager?
Annum inopem tu Vere vides, & luget inanes
Delicias florum fruge levanda fames.
Annus totus egens empto mendicat Aprili,
Nec quæ mendicant tempora Flora levat.
Ah ſcio; ſcorta rei ſunt damnoſiſſima noſtræ,
Scivit opes meretrix perdere Flora tuas.

EX HOMERO.

DIxit bello atrox, linguâ humaniſſimus Hector.
Ajax, cui vires ſuperi, mentemque dedêre
Ingentes bello, queis maximus inter Achivos.
Cedamus nocti, ſumma in mortalibus umbræ
Jura quietis habent. Repetemus poſtea pugnam,
Ut dicant Danai, & Troes: Hos publica fortes
Cauſa facit, propriâ neuter veſanus ab irâ.
Dixit, & Ajaci proprium dedit Inclytus enſem,
Diſtinctum clavis, auro, gemmiſque nitentem.
Baltheus huic contra grato donatus ab hoſte,
Purpureum multo, quem fecit Troja cruorem.

De

EPIGRAMMA.

INclytus hic ſermo Romæ fuit arbiter olim ;
Hôc leges victis gentibus illa dedit.
Hôc teſtata manet noſtrorum gloria patrum,
Hôc tot adhuc populos jura Latina regunt.
Imperii eloquium magni nunc Muſa loquatur,
Linguam fortunæ nunc colat ingenium.
Si manus oblîta eſt imitari geſta Quiritum,
Eloquii ſaltem vox imitetur opes.
E' tantis rebus ſaltem ſtet gloria linguæ;
Quod re jam fuimus, voce manere juvat.
Hac linguâ Græcas Muſas vicere Latinæ,
Palluit audito dum Cicerone Cecrops.
Huic candor, gravitas, brevitas, venus, ardor, acumen,
Hæc dolet, extollit, vellicat, urget, amat.
Hæc totam Europam communi colligit uſu;
Optimus hac Mundus maxima cuncta gerit.
Hac faſti utuntur, leges, ſchola, Curia, templum
Quis velit his ſummis barbarus eſſe locis?

De Cratino bibaci, & vinoſo.

Ex Antholog. lib. 1. *cap.* 13.

EPIGRAMMA:

PEgaſus eſt magnus condenti carmina vinum:
Dulce nihil condet Muſa bibentis aquam.
Hæc cecinit quondam tuus oh Lenæe Cratinas,
Non utrem, at redolens dolia tota meri.
Nam venit à Lymphis modicum frigentibus œſtrum,
Perque tuos meliùs mens calet acta lacus.

In morte N.N.

CARMEN.

QUis Deus, oh cytharę, dominatrix Muſa, quis Heros,
Quis tibi Vir canitur? Sacrata eſt Piſa Tonanti,
Alcides ſpoliis ſacravit Olympia bella.
Sed poſcit cantus Agrigenti gloria Thero,
Claro victrices qui miſit agone quadrigas.
Atria Majorum virtute hic maximus auget
Inſignis victor, Rex juſtus, & optimus hoſpes.
Hoc genus excelſum poſt multa pericula ſacras
Ad fluvium tenuit ſedes, lumenque ſicanis
Hoc ſummum fulſit, meritis juſtiſſima fata
Divitiis, & amore lares auxere beatos.

At

At pater omnipotens, celſi regnator Olympi,
Fontibus Alphæis, Muſis, & agonibus æquus
Numine firma tuo telluris regna paternæ
Theroni, ut reliquo generi ſerventur in œvum:
Quod factum infectum non reddidit ulla poteſtas,
Non vis, non ratio, non quod parit omnia tempus:
Poſtea pacatis ſed grata oblivia rebus
Extinguunt veterem recreato in pectore curam.
Cum Deus exactis permiſcet læta moleſtis,
Hoc neptes Cadmi ſenſere graviſſima paſſæ,
Mox genere, & meritis condignâ in ſede locatæ;
Gaudia ſuccedunt poſt magnos maxima luctus:
Noſci rore Deus, quàm fulmine largior optat.
Occubuit Semile quæſiti fulminis ictu,
Sed bibit æternum nunc inter ſidera nectar,
Cara Jove, velut ante fuit quoque cara Minervæ;
Cincta ederis, quas donat amans pulcherrima Proles.
Leucothoe Nerei natis æquata marinis
Dicitur æterno gaudere in fluctibus œvo.
Viventûm nulli certa eſt ſors ultima vitæ,
Noſtris quæve malis ſummam ferat hora quietem;
Nam ſolet hinc gentes incoſtans unda laborum,
Inde voluptatum variis impellere ventis.
Juſto læta Deus quæ fecerat otia regnô,
Œdipodi inter opes quondam fluxere paternas;
Turbare in medio voluit fortuna ſerenô,
Et timuit veteres amittere perfida mores.
Nam poſtquam Lajum proles malè nata peremit,
Implens ignaro Pythonis carmina ferro,
Ultrix in mutam cædem ſtimulavit Erynnis
Huic geminam ſobolem geſta ad fortiſſima natam:
Unus Therſander cæſo Polynice ſuperſtes,
Feſtus agonis honor, funeſti & gloria Martis,
Antiquam generis reparavit Adraſtidis aulam,
Unde ſuos Theronis habet Gens inclyta fontes,
Huic

Huic decet Aonios ſpargat Polyhymnia flores,
Victor Olympiaci nam præmia cepit agonis.
Huic quoque communes ſimili cum fratre quadrigæ,
Libantes ſummum duodenis curſibus æquor,
Victrices pariter ſtadiis Pythonis, & Iſthmi,
Œdipodis generi communia ſerta tulerunt.
Quæ mala, quas curas ſtudium non ſolvit agonis?
Aut quid divitiis non proficit addita virtus?
Invenit hæc duris molliſſima tempora fatis,
Dum ſapiens pectus fortunat lege modeſti,
Tandem opibus fortunam animis attemperat omnem:
Accipit hoc quiſquis ſervandum lumen ab aſtro;
Novit, quàm rigidè poſt mortem Tartara plectant
Humanum crimen, nunquam poſt fata piandum:
Quas pœnas ſceleri tunc implacabilis omni
Nunquam mutandis judex pronunciet actis.
At ſinè nocte bonis fulgent poſt funera Soles.
Non labor, aut morbus, non ſors adverſa, nefaſve
Impediunt liquidum curis turbantibus œvum.
Non terram ferro, non findunt æquora ligno
Ad vitam augendam regnis, inopemve levandam.
Qui bona jure colunt, patriam fide, Numina ſacris,
Accumbunt ſaturi ſecuro nectare Divis;
Contra vexat atrox animas Proſerpina ſontes.
Qui ter quàcunque ad ſceleris contagia purus
Permaneat, Jovis ille viâ mittetur in urbem
Saturni lætam, quà lenibus Inſula ridet
Oceani Zephyris, Umbris ſervata beatis.
Floribus auratis ibi lympha argentea nutrix,
Queis hortus, queis prata micant, queis incola texit
Feſtis ſerta comis juſto Rhadamante tributa.
Qui dominante Rheam ſuſtollit cæde Maritam,
Impuris ſua regna viris hôc judice claudit.
Peleus alma colit, colit alma hæc littora Cadmus,
Et Thetis, ut flexit precibus formoſa Tonantem,
Heroas

Heroas inter magnos huc miſit Achillem.
Trojæ inconcuſſam Junone urgente columnam
Hectora placatus Danais proſtravit Achilles,
Et veſtros natos ferro vidiſtis eodem,
Aurora Æthiopem, Neptune occumbere Cycnum:
Sub cubito peracuta replent mihi tela pharêtram,
Quæ doctis vibrata ſonant, incognita vulgo.
Multa ſapit, cui ſponte colit natura Minervam.
Ingenii ſed inops fretus ſtudio irrita jactat
Ingratùm crocitans Aquilam quaſi Corvus ad altam:
Muſa ſed in ſignum noſter quin tenditur arcus?
In quem præclaras mens vibrat amica ſagittas?
In carum ſuperis Agrigentum tela ferantur.
Nulla, Jovem teſtor, tulit urbs poſt ſæcula centum;
Cujus ſive magis flagraret pectus amando,
Sive juvando manus, quam Thero excellat utroque.
Virtutem contra, ſed iniqua protervia ventos
Excivit rabidos, rebus furioſa novandis.
Claris livor amat geſtis offundere nimbos,
Sed Maris innumeras ut nemo recenſet arenas,
Theronis quæ fama canit, quæ gratia ſervat,
Nemo vel immenſis benefacta recenſeat actis.

Ex Florilegio lib. 3. cap. 6. Epigr. 54.

EPIGRAMMA.

Sum petra, ornavi quondam non fracta ſepulchrum,
Doctum Heracliti ſervo vetuſta caput.
Ecce ut arena teror, cuncta ut perduntur ab ævo,
Calculus in mediâ perdor, & ipſe viâ.
Admonet at gentes, quamvis non ſtante columnâ;
Hinc ſacer ad populum latrat ut ante canis.

Ex eodem,

Lib. 4. cap. 9. Epigr. 25.

EPIGRAMMA.

PRaxitelis ſixi pennato viſcera ferro,
Praxitelis vultus reddidit ære meos.
Me, quem corde gerit, dextrâ formavit amorem,
Hoc ſignum Phrynes munus amoris habet.
Illa facit donator amet. Hunc inter Amantes
Acceptum reddat munus amoris amor.

Ex eodem,

Lib. 4. cap. 8. Epigr. 45.

EPIGRAMMA.

IPhigênia furit, mox carum ſpectat Oreſtem,
Et fera fraternus pectora mollit amor.
Atrox ira redit, revocat sed lumina frater.
Hinc pietas oculos attrahit, inde furor.

Ex eodem,

Lib. 3. *cap.* 14. *Epigr.* 4.

EPIGRAMMA.

PElläi hic tumulus, quem conſtruxere Pelaſgi,
Manſurum Teucris ſæcula longa metum.
Pulſatur pelago, gemitus meret ille marinos,
Cui fuit à Divûm gente marina parens.

Ex eodem,

Lib. 3. *cap.* 5. *Epigr.* 12.

EPIGRAMMA.

NAtus Ariſtagoras Theopompo occumbere mavult
Ambravæ in vallo, quàm ſupereſſe fugâ.
Doribus ut genitum decuit generoſiùs angi
Excidio patriæ, quàm trepidare ſuo.

In morte N.N.

CARMEN.

Eſt aqua primarum Mortalibus optima rerum,
Inter opes aurum, quaſi fax nocturna refulget.
Sic reliquis, quotquot celebrant certamina Græci,
Præſtat Olympiacum, Sol vincit ut Aſtra minora.
Ergo ſi patrios Clio meditaris agones,
Helidis, & Piſæ ſtadium fer ad æthera magnum.
Huic pulchrè contexta parant epinicia vates;
Saturni ut prolem cantent Hieronis ad alta
Tecta Syracoſii juſto ſplendentia regno.
Regnat divitibus ſegetum, pecudumque Sicanis
Omni virtutum cenſu ditiſſimus Heros.
Pectine regali reſonans teſtudo ſuperbit,
Quam feſtis adhibet modulatrix Gratia menſis:
Sed mea pulſetur repetito Dorica plectro
Jam nimiùm feriata diù, namque inclyta Piſæ,
Et victoris equi Pherenici gloria mentem
Implevit Phœbo, Corpus cùm vidimus actum
Plauſu, non ſtimulis vix tacta per æquora ſacras
Alphæi ad metas oculis præcurrere noſtris.
Vicit equus domino Siculorum fata beanti,
Qui magnos animos virtute oblectat equorum,
Cui Lydi Pelopis celebrata colonia plaudit.
Regnator pelagi Pelopem Neptunus amavit,
Cùm juvenem puro redivivum Parca lebete
Extraxit, mancumque armo ſupplevit eburno.
Mira canunt veteres, potiùs ſed falſa lepôri
Credimus Aonio, quàm vera inculta loquenti.

Gratia Muſarum Mortalibus omnia mollit;
Rhythmo aſſentimur faciles, & carmine parta
Conciliat dulcedo fidem, queis nulla fuiſſet.
Sed fucum abſtergit dictis mendacibus ætas,
Deque Diis præclara loqui cautumque, piumque eſt.
De te, quem genuit felici Tantalus aulâ
En meliora cano veteri adverſantia famæ.
Cùm Pater ad caram Sipylum, cùm ad munera menſæ
Divos cœleſti pius hoſpes ab arce vocabat,
Divinis epulis convivia juſta rependens,
Captus amore tui per ſumma Tridentifer aſtra
Auratis te vexit equis ad ſacra Tonantis
Pocula poſt Hebem Phrygio tradenda miniſtro.
Cùm jam lugenti prolis diſpendia matri
Quæſitum fruſtra te comparere negarent,
Quidam de ſolitis læto pallescere cive
Nunciat elixum calidâ, cultroque ſecatum
Appoſitum menſis, ignaro & dente comeſum.
Dicere ſed ſuperos humana in membra voraces
Eſt mihi religio; ſtimulat blaſphemia fulmen.
Tantalus ante alios Dis indulgentibus uſus,
Defuit at magnis addenda modeſtia rebus,
In caput ergo tumens, nimiâque à ſorte ſuperbum
Juppiter ingentem ſuſpendit ab æthere molem,
Quam miſer æternùm niſu, & formidine feſſus
Semper conatur, nunquam à cervice repellit.
Plectitur hôc quarto poſt tertia damna labore,
Quòd Dis furatus ſacra inter pocula nectar,
Nectar quo potô ſtygias nemo attigit undas,
Hoc vulgare virûm labris mortalibus auſus.
Nulla ſed ignaris patrantur crimina Divis.
Illico namque Pelops poſt Patris furta remiſſus
A' læſis ſuperis ad gentis fata caducæ.
Huic floreret adhuc cùm pulchra juventa, cupivit
Conjugio ſupplere alto quæ amiſerat aſtra.

Hippodamia placet Piſæ generata tyranno;
Ah nimis illa procis, nimis ah dilecta parenti!
Ergo Pelops nocturnus amans in littore ſolus
Neptunum excivit, qui vota audivit amantis,
Ipſe Cupidinei jamdudum conſcius ignis.
Si, dixit, ſua dona Venus tibi detulit unquam;
Œnomao impedias æratæ cuſpidis haſtam,
Et miſſum ad claram rapidis in curribus Helim,
Victorem optatæ me tandem junge puellæ.
Ille decem, ſcio, treſque viros occîdit amantes,
In longum ducens Hymenæos Virginis œvum.
Degener at magnis impar formido gerendis.
Otia quid vitam producunt pigra tacendam,
Quæ ſemel ætati moriatur tota futuræ,
Si ſubeunda mihi ſtat ineluctabilis hora,
Nec diram vitat probroſa ignavia Ditem?
Aude anime, atque ingens magnis ne deſice rebus,
Tu Deus arridens auſis ne deſice magnis.
Dixit, & in ſurdum non perdidit æthera voces,
Nam Deus affulgens currum conceſſit, equoſque,
Quorum vel ſummas volat ungula ſicca per undas,
Œnomaus victus, conjux fuit inclyta Virgo,
Mox ſenos enixa Duces, ſex fulmina belli.
Inferiis tumulus Pelopis celebratur opimis,
Proximus Alphæo, monumento inſignis, & arâ
Civibus affuſis circùm, hoſpitibuſque frequenti.
Omnis Piſæas oleas nunc ſuſpicit Heros
In ſtadio Pelopis, celeris quâ gloria plantæ,
Quâ viget ardentûm decus immortale laborum;
Victor honoratam trahit uſque ad fata quietem
Fronde coronatam, nullis arente pruinis.
Summa viris, quæ parta diem ſervantur in omnem.
Ecce Syracoſio canitur victoria Regi
Cantibus Æolicis, cui non præſtantior alter
Virtute, aut opibus certet, nec Muſa coronas
Texat

Texat amica magis, quàm noſtris floribus uſa.
Crede tuas Hiero curari à Numine curas;
Quod niſi præſidium noſtræ mox deficit arti,
Apricum ad Cronium pſallam tibi dulciùs olim,
Atque augenda tuis creſcent mea carmina factis,
Cùm currus aget ipſa ſuis victoria pennis;
Excellunt aliis alii. Excellentia Regum
Maxima; Virtutem locat altâ in luce poteſtas.
Hæc tibi ſit Virtus, hæc ſit fortuna perennis.
Sic ego concentum tantis victoribus æquem
Famæ auctor, famæque comes, ſic Græcia plaudens
Athletam, & Vatem lauru conjungat eâdem.

EX EURIPIDE.

EPIGRAMMA.

AD pulchræ Veneris quid ſtridens fiſtula templum,
Linquens Paſtoris ruſtica labra, venis?
Non ſunt hic colles, non valles: Limen amores
Intus habet, montes aſpera Muſa colit.

EPIGRAMMA.

SI quid cura poteſt, curam gere. Numen ab alto
 Si tua jam curat, quid tua cura poteſt?
Nulla fit abſque Deo cura, aut incuria: Curas
 Si quas ille dabit, ferto ab amante datas.

AD PATRES SOC. JESU
COLLEGII BRAYDENSIS,
Poſt auditam elegantem præfationem.

ELEGIA.

AUdivi, oh Socii Jeſu, præludia veſtri
 Pulchra magiſterii, digna favente Deo:
Sic animos Cœlo excolitis: labor iſte diei
 Occidui æterno Sole beatus erit.
Ut ſapiant homines, hominum ſanctiſſima cura eſt;
 Hac homo divinas gaudet obire vices.
Parvuli ut ipſum olim ſinerentur adire docentem
 Inſtabat Jeſus. Hoc adamavit opus.
Nunc vos è Cœlo ſua per veſtigia ducens
 Hoc munus Sociis deſtinat ille ſuis.
Vos facit hoc alacres, hoc mittit in ardua lætos.
 Quid renuat Domini ſervus amantis amans?
Audio cor veſtrum cordis mihi ſubdit in aurem;

Pro dulci Jeſu cuncta moleſta beant.
Jucundum in curis ſperare quod inquiet ille,
Ingredere in Domini gaudia ſerve bone.
Neſcit amare bonos, qui non imitatur amando.
Non eſt Virtutis verus amator iners.
Oh ſi vos imiter, felici ut in æthere jungat,
Quæ nos in terris jungit amicitia!
Veſter doctrinæ quoque ſim pietatis alumnus,
Vos ſequar in terris, vos ut in aſtra ſequar.
Ne dura obveniant animis divortia noſtris,
In te noſtra precor collige corda Deus.
Ignatj in ſortem quoque me ſuſtolle tuorum;
Utque tuum reputes, profit amaſſe tuos.
Cœptum de nobis carmen bonus abſtulit error,
Sortis ad æternæ mox ſubeunda mihi.
Hoc ipſum ſed fecit amor, qui dicere pergit;
In te noſtra precor collige corda Deus.

Rus modeſtè extructum.

EPIGRAMMA.

NOn magnos fortuna facit, facit aurea Virtus.
Externis modicus maximus intus eris.
Ædibus anguſtis Virtus ſe ſe explicat omnis.
Hic Dominos animis dulce habitare ſuis.

Marmoreis ſtatuis in viridario poſitis.

INSCRIPTIONES.

Ver.

Vere placet, dum floret ager, dum colligis ardet.
Sic fit in humanis. Spes placet, uſus obeſt.

Æſtas.

Sum gravis Agricolis, & Sole, & fulgure meſſes.
Obſidet humanas hinc labor, inde metus.

Autumnus.

Vina dat Autumnus, ſumenda ut gaudia vitæ.
Si libes recreant, pleniùs hauſta nocent.

Hyems.

En referunt hyemem glacies, nix cana, pruinæ.
Stat flumen, tellus albicat, arva rigent.

Zephyrus.

Floram adamat Zephyrus: reſpondet fabula rebus;
Æquè prætereunt flamina, flos, & amor.

Adon.

Vicerat iſte Feras, fit amans, extinguitur Apro.
Enervat fortes mollis ad arma Venus.

Daphnis.

Hæc repulit Phœbum, nunc claræ eſt gloria frontis;
Sic ſolet invictus carior eſſe pudor.

Clytia.

Clytia germanam accuſat; mage Pythius odit.
Indicii merces odia ſemper erunt.

Eadem ab Æſtate, & Vere inſecuta.

Clytia ſole perit, flos vento, grandine meſſis;
Gau-

Gaudia, quæ fugiunt, ſunt ager, hortus, amor.

Apollo inter Clytiam, & Daphnem.

Clytia me ſequitur, flagrat; fugit inclyta Daphnis:
Non ferit hanc fulmen. Tuta in amore fuga eſt.

Idem cum lyrâ, & arcu.

Cum citharâ Sol telà gerit, nam viribus expers
Spernitur ingenium, vis ſinè mente perit.

Venus incedens per roſas.

Tum roſa candebat, Venus attigit, atra relicta eſt;
Sic veniens fœdat candida corda Venus.

Hercules cum aureis pomis Heſperidum.

Virtus Herculeo dedit aurea poma labori.
Aurum dulce ſapit, quod parat ante labor.

Medæa cum lebete ad recoquendum Jaſonem.

Queis ſenium recoquat Medæa hic colligit herbas.
Rus, mens pura, quies non ſinit eſſe ſenem.

Omphale clavam vibrans.

Non domat Alcidem Juno, tamen Omphale vincit.
Quos non ira poteſt frangere, frangit amor.

Senatori amico ſuo.

Salutem plurimam.

PErdita piſcatûs nimis anxius acta requirens,
Perdor curarum fluctibus ipſe meis.
Ipſe animi fluctus piſcanda volumina celat,
Sic ſpes piſcandi nulla tumente mari.
Expiſcor tandem; quaſi tunc à morte renatus,
Excutiens chartas, clamo favere Deum.
Sic poſtquam eſt feſſus vacuis piſcator in undis,
Lætus adinvento retia piſce quatit.
Tu me præ curâ nuper miſeratus anhelum,

Nunc quoque lætitiâ poſco fruare meâ.
Gaudia cum caris pulchrè partimur amicis:
Sic creſcunt geminô gaudia noſtra ſinu.
Sed ne fortè putes ſenſa hæc ab amante ſuperba,
Scriba Senatorem quòd velut æquus amet.
Imò ſuperbus erit, qui nolit amare merentes,
Et majeſtatem lædi ab Amore negant.

De Inſulis beatis Oceani.

Ex Pindar. Olymp. Od. 2.

QUi ter conſtans ad ſceleris contagia purus
Permaneat, Jovis ille viâ mittetur in urbem
Saturni lætam, quâ lenibus Inſula ridet
Oceani Zephiris, Umbris habitanda beatis.
Floribus auratis ibi lympha argentea nutrix,
Perpetuas, quos hortus habet, quo vere corollas
Egregiè meritis Rhadamantus dividit umbris.
Cenſuram ſubeunt ſupremo hôc Judices Manes,
Saturnuſque reos felicibus arcet ab oris.
Peleus alma colit, colit alma hæc littora Cadmus,
Et Thetis ut flexit precibus formoſa Tonantem,
Heroäs inter magnos huc miſit Achillem.

* * * * * * * * * * * *

Contra

Contra Athenienſes, qui latis in oſtreâ ſuffragiis, quem etiam virtute, & meritis nimis videbant excellere, eum exulare jubebant, ob tuendam æqualitatis rationem.

ELEGIA.

INvida cur pellit meliores oſtrea Cives?
  Cautio quæ populis ſana, cavere bonos?
Patria crudelis, quæ ſit virtute noverca:
  Peſſima cui vivas, optimus unde perit.
At movet æquales ſuſpecta potentia turbas,
  Ne quem vel juſtâ creſcere laude velint.
Æqua ſed inſonti venit à virtute poteſtas,
  Mitis, & à ſolis jurè timenda malis.
Sunt virtutis opes pura inſtrumenta juvandi,
  Cur ſanctis opibus poſſe juvare nocet?
Ut ſint æquales, facit oſtrea turpis iniquos.
  Tam rea libertas dira tyrannis erit.
Juſtitiam violans ſtultiſſima norma regendi,
  Nulla ſalutaris crimine parta ſalus.
Impatiens quævis meriti Reſpublica ſummi,
  Plerunque hæc fiet vel mediocris inops.
Quis velit ire vias, quarum eſt in fine cadendum?
  Quis celer ad medium pergere ſumma timens?
Quis probet hos mores, queis tandẽ excellere dirũ eſt.
  Quàm lente incipies, quod vereare ſequi.

Juſto pulchra modo nulla eſt enormis honeſtas:
Non ſanctum eſſe poteſt, quod nimis eſſe poteſt.

DE NIOBE.

Ex Antipatr.

EPIGRAMMA.

QUid dextram Niobe ſceleratã ad Numina tendis
A' capite inſanas ſparſa furente comas?
Oh fœcunda nimis circumſpice tela Dianæ,
Nunc luge in magnos dicta ſuperba Deos.
Hæc cadit ex genitis prope te confoſſa puellis,
Iſta in maternum corruit icta ſinum.
Nomen in auxilium caræ vocat ille parentis,
Dicere nec totum morte premente poteſt.
Sed non hic finis cladi, quoque maſcula proles
Tota eſt multiplici fulmine facta cinis.
Oh nata in miſeros caſus! ſis mortua ſaxum,
Sed ſaxum ultrices ſentiet Eumenidas.

De eâdem,

Ex Meleagr.

EPIGRAMMA.

TAntalis oh Niobe, cladis ſum nuncius, audi;
Et magnam magno capta dolore cape.
Crinem ſolve furens Phœbi fœcunda ſagittis,
In ſtragem irato Numine nixa meres.
Heu tibi nec ſupereſt unus. Sed cerno quid ultra?
Virginibus cæſis quò fluit amne cruor!
Ad Matris cadit iſta genu, rapta illa papillis,
Hanc quòd nutrivit pectus, ut urna gerit.
Undique tela ſonant, perit hæc, mors ſegnior illi,
Sed Matrem longæ mortis imago necat.
Tu nimis ante loquax mutô ſtas horrida ſaxo:
Ærumnæ cohibent verba, animumque graves.

Medæa picta à Timomaco.

Ex Antiphil.

EPIGRAMMA.

TImomacus ſtuduit Medæam pingere, qualis
Spectat amans Natos, & truculenta Virum.
Quis varios mores vultu componat in uno,
Quorum ſit rabies alter, & alter amor?

Pul-

Pulchrè compoſuit mixtos in imagine: cernis,
In rabie eſt pietas, in pietate furor.
Si laceri nati Medæam fortè decebant,
Certè Timomachi non decuere manum.

De eâdem,

Ex eod. Auct.

EPIGRAMMA.

HIc mirare notas pariter pietatis, & iræ.
In motus facies fluctuat una duos.
Cædere vult prolem læſa Uxor, parcere Mater
Oſa Viro, genitos ſed miſerata ſuos.
A' cæde abſtinuit pictor, ne criminis horror
Laudibus artificis debita ſenſa premat.
Pictor ait, ſatis eſt: tam dirum crimen omitto:
Noſtra haud audebit dextra, quod auſa parens.

Ex Floril. lib. 3. *cap.* 12. *Epigr.* 53. *Callimach.*

EPIGRAMMA.

CRetenſem feſto quondam ſermone jocoſam
Quæritat in pulchrâ quæque puella ſamo.
Sed jam grata jocis funeſta ſilentia ſervat,
Queis riſum, & luctum fata ſilere jubent.

Ad

Ad Amicum peregre abeuntem.

ELEGIA.

HÆc longum dictura vale reddetur Amico
  Quæ temerè fuſum pagina carmen habet.
Illum inter curas incommoda Muſa laceſſet,
  Dum noſtrâ abſcedens urbe capeſſit iter.
Juſſa ſilere tamen verboſior obſtrepet illi,
  Et longum petulans ingeret illa vale.
Non quòd ad extremos abeunti dicimus Indos,
  Nec quod nigra ſolet dicere turba rogis;
Sed quod ceſſuro dicit nova nupta Maritô,
  Quodque in corde ſonat ſit tibi longa ſalus.
Illa per obſtantes comites admota triremi,
  Paſſa comas, pectus nuda, rigata genas
Aſpicit ante virum, tum ſtat, gemit, increpat, urget
  Formâ, irâ, lacrymis, arte, dolore potens.
Mox ubi fruſtra eſt ars omnis conſumpta furoris,
  Nec ſpes conviciis ampliùs ulla manet,
Impetus in miſeros fletus fluit omnis, & iras,
  Quas ſpes jam docuit ſumere, ponit Amor.
Forma dolore placet, vires dat forma dolori;
  Jam vir, nec ventos, nec probat ire rati.
Illa petit ſubitos reditus, crebraſque tabellas,
  Et rogat, ut vacui ſit memor ille thori.
Emittunt nautæ poſtrema ad verba cachinnos,
  Et turpi ludit ſcommate turba procax.
Ipſe pudore rubet conjux, nec præcavet illa,
  Omnis at in durô Conjuge languet amans.
Vicerat, at ſurdas jam ſolvit Nauta rudentes,
  Et primis remi viribus albet aqua.

Illa vel extremæ curvatur in oſcula puppis,
  Proſequitur lacrymans, ingrediturque mare.
Oſcula crudelis captare per aera pergit,
  Et jam diſiunćto porrigit ora Viro.
Littore deducunt ſociæ, blandæque loquuntur,
  Miranturque feri ſaxea corda Viri.
Et pectus lacrymis, & littus quæſtibus implet,
  Matribus & fletum, Virginibuſque ciet.
Alloquitur paulò graviùs Matrona, ſed ipſo
  Dicentis gemitu maſcula verba tremunt.
Jam redit ad viduos cunćtis defleta penates,
  Viſaque plangores integrat orba domus.
Mox mentem, ut tanto paulùm conſedit ab æſtu,
  Cujuſdam juvenis forma probata ſubit.
Hic meliora offert triſti ſolatia nuptæ,
  Et ſarcit vacui damna ferenda thori.
Illa, quòd abſceſſit, jam fit placata Marito,
  Pœnitet & reditus ante rogaſſe ſuos.
Quin grates & agit Veneri, ſubmiſſaque vota
  Suſcipit, ut Conjux poſſit abeſſe diù.
Aſt ego tam carô longè disjunćtus Amico,
  Quò mihi ſolamen, quando, quod, unde parem?
Excipiat noſtros quis tam mihi dulcis amores,
  Quis tibi ſuffećtus pećtoris ardor erit?
Sive quis accipiat tam pleno pećtore Phœbum?
  Ut tu, quis Muſis alter ocellus erit?
Quis mihi longinquos ſupplebit Amicus amores?
  Quis mihi virtutum plena alimenta dabit?
Quis mihi facundæ penſabit damna loquelæ?
  Quis mihi tam dulces juſſerit ire dies?
Nemo dabit puris ſinè te gaudere camænis,
  Te ſinè, Caſtalios nemo videre choros.
Omnia diſtanti ceſſabunt gaudia Amico,
  Nec, niſi tu redeas, iſta redire queunt.
Pagina ſola tui ſolabitur unica flentem.

Pa-

Pagina dilectæ pignus, honorque manus.
Nil erit arridens, niſi mens te cogitet unum:
Et perdent vultus obvia pulchra ſuos.
Heu nimium venis impreſſus es, atque medullis!
Implet tota oculos vivida imago meos.
Non ego fallaces, quos fœmina finxerit, ignes
Fingo, nec in noſtrâ ponitur arte dolor.
Vir ſum; nec vanæ delector imagine formæ;
Virtus una animum dirigit alma meum.
Delêgi mores; non frontem, aut blandula verba,
Quæ, quò plus charitum, plus levitatis habent.
Quod virtute placet, placet invariabile ſemper;
Non è longinquo perditur iſta fides:
Non etenim ventis inſcribitur, aut in arenis:
Fert adamantæas, non peritura notas.
Ecce meum pectus tibi pando, care ſodalis!
Vis ibi, quæ taceo, plura videre? veni.

EX HOMERO.

CARMEN.

PUgnans cum ſolo ſolus jam ſentiet Hector,
Quales ſint Danaum proceres, & præter Achillem
Perrumpentem acies, quò mitior ira Leonum.
Ille quidem graviter de Rege Agamemnone frendens
Nunc ſedet in ratibus; noſtræ tamen Aulide claſſes
Mille alios vexere Duces tibi Marte timendos.
Sed tandem rem cerne manu. Mars dicta probabit.
Hæc quaſſans galeam contra ſic reddidit alter.
Illuſtris populorum Ajax Thelamonie princeps

Ne

Ne me ſic tenta, quaſi ſim terrendus ut infans,
Aut quaſi nata colô muliercula neſcia belli.
Arma ſcio, cædeſque virûm. Vidiſtis Achivi
Lethiferas vibrantem haſtas, ſcutum arte moventem,
Vidiſtis in equo veſtris irrumpere caſtris,
Prælia & impavido certare ſtataria corde.
Nec te ex inſidiis ſpeculor celeberrime Grâcum;
Tu mihi (Mars faxit) campo vincendus aperto.
Dixit, & haſta loquentis adhuc quaſi fulminis ictu
'Ajacis clypeo inſonuit, quem dura tegebant
Septem terga bovum, ruptiſque in pellibus hæſit.
Haſta ſed Ajacis Trojano vulnera ſignans
Trajecto clypeo thoraci infixa pependit.
Armis ex laceris trunca illi tela revellunt,
Mox propiùs ſævire truces, ut cominus apris
Barbara marmaricos committit ſylva leones.
Totus in Ajacem ruit Hector, totus & hoſtem
Objectis longè repulit Thelamonius armis.
Troius ut cæcâ fervens excanduit irâ,
Oblîtus gladium correptum, ex æquore ſaxum
Impegit clypeo Danai, quà ſplendibus umbo
Eminet, & cubitus quaſſato torpuit ære.
Tunc partem ſcopuli jecit quoque percitus Ajax,
Dignam Ajace jaci, quæ ſterneret Hectora dignam,
Hectora ſed ſtratum præſens erexit Apollo.
Et jam ſtringebant utrique in vulnera ferrum.
Jam ſed Agonothetæ Teucrorum Idæus, & alter
Taltibius Danaûm ſurgunt, & ſceptra ferentes
In medios clamant. Satis eſt: Abſiſtite pugnâ;
Cari utrique Jovi pugnaſtis fortiter ambo.
Nox eſt: Umbrarum communem admittite pacem.
Tunc Ajax: decet iſta priùs mihi ab Hectore dici,
Primores Danaûm qui primus ad arma vocavit.
Hector ait: fateor. Superis fortiſſime debes
Magnum animum, validas vires, mentemque ſagacem.

Prælia nunc ceſſent Phœbo repetenda reverſo,
Hanc donec dirimant Deus, & victoria litem.
Non hæc indignâ pereant ſpectacula nocte.
Te redeunte tui exultent Heroe recepto,
Et ferat incolumi Priamus læta oſcula nato.
Primùm ſed donis certemus. Conſtet utriſque,
Non odium flagrare animis, ſed honoris amorem.

ODE PINDARI.

Olymp. 4.

QUi tonitru velox agitas altiſſime Divûm,
Cum cytharæ, & vocis variis concentibus Oræ
Me miſère tuæ græca ad certamina teſtem.
Felices audire boni lætantur amicos.
Ergo oh Saturni proles, quà contremit Æthna,
Impoſitum pondus centena in colla Typhonis,
Sit tibi victricis, quam donat Olympia, frondis,
Non ceſſura annis à noſtro gratia cantu,
Qui immortale ferens Heroum nomen ad aſtra
Pſaumidis excurrit longœva in ſæcula curru.
Hic patriam illuſtrat Camarinam. Juppiter adſit
Et reliquis votis, meritos huic cōdimus hymnos, (pes,
Magnanimos quòd nutrit equos, quòd ſplendidus hoſ-
Quòd ſibi, quòd patriæ quærat mens candida pacem.
Sed nolo ingenuum maculent mendacia carmen.
Illibata viris eſt experientia teſtis.
Hæc Clymeni natum, quem per certamina canum
Lemniacæ riſere Nurus, pugnavit agoni.
Ad partam curru dum tenderet ille coronam,
Hypſipylæ canos oſtentans dixit: Ego ille.
Tam facit invictas animus, quàm dextra quadrigas,
Et falſo capitis ſenio ſæpe albicat Hebe.

Pru-

ELEGIA.

QUò magis erudiunt artes, honor, uſus, & anni,
  Mens ſolet in dubiis nectere cauta moras.
Sic gravior Phyſicus gravibus dum præſidet ægris,
  Eſt conſtans morbi cura movere nihil.
Quò magis emeritâ nomen quæſivit ab arte,
  Hoc in diſcrimen mittere quiſque timet.
Quin fumus à nihilo, nihilumque libentiùs exit
  A' nobis, genium ſervat origo ſuum.
Præterea eſt ratio. Sæpe eſt cunctatio prudens;
  Non acta interdum, ſæpiùs acta dolent.
Res quoties miſeras nulla unquam cura levavit,
  Quas ceſſante viro tempora ſponte levant!
Contra multa viris altùm ſapientibus acta,
  Non expectatis mox periere malis.
Sit ſatis ingeniis hominum propendere doctè;
  Exitus eſt rerum cuncta moventis opus.
Sani conſilium præſtant, eventa ſuperbi;
  Sunt meditanda viris fata, regenda Deo.
Diſquirunt facienda homines, facit omnia Numen;
  Moribus exceptis nil bene præſtat homo.
Nobiſcum arbitrium diviſit Juppiter olim;
  Nos animum regimus, cætera Numen agit.
Eſt vera eventus ratio noſtræ abdita menti;
  Servavit rerum Conditor iſta ſibi.
Regnantes aliquando aſtris hæc cuncta ſciemus;
  Vita ferat tenebras nunc peregrina ſuas.
Omnis fortunæ ſtulta eſt fiducia cæcæ;

Nil

Nil ſibi mens ſumat; ſors ubicunque poteſt.
Invida cordatis ſæpe eſt fortuna, ſoletque
Committens ſorti pauca dolere minùs.
Ah quoties clades inopino venit ab Euro,
Perdere cùm claſſem dignior hoſtis erat!
Conſilia ignorans fortunam vulgus honorat,
Splendida quantumvis crimine parta colit.
Suſpicit ille magis, quæ dant ceſſantibus aſtra;
Quis cultum à turbâ debeat ipſe ſibi?
Judicat eventu populus, quo fama paratur,
Nec ratio cladis redditur ulla ſatis.
Nec putat immeritò fieri; nequit intima cordis,
Conſiliique ſinus cernere, facta videt.
Quis ſapiens hominum judex? Eventa videntur
Judicia aſtrorum; tutius iſta ſequi.
Sed rerum caſu non ſemper judicat æther;
Cedunt ſæpe bonis triſtia, læta malis.
Quis verò edoceat plebem? Sic plurima ſentit:
Et tarda adverſo flumine navis erit.
Nunquam turba levis, quæ damnant fata, probabit;
Quævis geſta minùs proſpera ſtulta putat.
Ex his, quæ nequeat tua ſola implere facultas,
Ut tu ſemper agas optima, ne quid agas.
Sic ſaltem moveas, ne ſis diſcriminis author,
Neve ſit eventus cauſa tuenda tibi.
Qui ſapit à longo rebus monſtrantibus uſu,
Nil audet, reputat plurima, pauca gerit.

ODE

ODE 3. PINDARI.

TYndaridis geminis, quibus uſus amantibus hoſpes,
Auricomęq;Helenę ſint carmina grata precamur,
Unde ſonat Græcis Agrigenti gloria Thero
Victor Olympiacus,volucrum quaſi Phœbus equorum.
Afflavit mihi Muſa modos, tamen ante negatos,
Noſtra quibus Dori reſponſent metra cothurno,
Ducentis ſacras per compita feſta choræas.
Nexa jubis jam ſerta vocant ad carmina vatem,
Magno victori miſcere jubentia cantum,
Et citharam, & tibias, quâ lege probarię Apollo.
Vult cantem quotquot Judex Aetolus honorat,
Antiqua Alcidis quondam mandata ſecutus,
Victorum cingens oleaſtro tempora flavo.
Hæc portaſſe ferunt ab opacis fontibus Iſtri
Amphitryoniadem victrici præmia fronti.
Munus Hyperborei cultores Solis amicè
Alcidi hoc dederant ſedulâ bonitate petenti,
Quò mox divini frondeſcens ſylva parentis,
Excipiens cunctos cunctis dona inclyta ferret.
Ille pius Patri votas ſacraverat aras,
Condiderat Græcos certa in quinquennia ludos,
Judiciumque ingens, quo ſcanderet æthera victor.
Quà ruit Alphæus caræ in veſtigia Nymphæ,
Lunaque in occiduas, queis mergitur Heſperus, undas,
Flexerat auratas jam plenâ luce quadrigas.
Sed non pulcher erat pulchris ibi frondibus hortus,
Vallibus in Pelopis, quas ſol nimis urit acutus.
Tunc ergo ad ripas properat Tirynthius Iſtro,
Linquens Arcadiæ colles, virideſque receſſus.
Hunc ibi Latonæ proles ſuſcepit equorum
Excellens domitrix, magni digna hoſpitis hoſpes.
Iverat ille Patris fato, juſſuque Tyranni,

Du-

Duceret ut cervam, cui ſacrum in cornibus aurum:
Sacratam cervam, quam ſcilicet ante dicarat,
Id collo inſcribens Athlantis nata Dianæ.
Ergo quà Boreâ frigent hanc ille ſecutus,
Stans, quà lucus erat, frondem miratus amœnam,
Hanc eſſe optavit fronti victoris alendam,
Quâ delaſſat equos duodeno meta reflexu.
Nunc quoque propitius ludô venit ille gemellis
Cum Lædæ natis, quibus ante ad ſidera tendens
Mandavit regimen ſacri certaminis, unde
Fortibus Athlætis honor eſt, rapidiſque quadrigis.
Hoc canere eſt animus, Theroni ut ceſſerit ingens,
Eumenidiſque decus, meritis quod nempe dederunt
Inſignes in equis Lædæ ſed ab alite nati.
Nempe dedêre pio veneranti Numina ritu,
Moribus, & lautis ad feſta altaria menſis.
Quod ſi Numen aquæ ſummum, ſi quæritur aurum,
Quo reliquæ ſuperantur opes, ſic Thero colendus,
Quòd tandem heroicæ fines Virtutis adeptus
Venit ad Herculeas gentili laude columnas.
Non licet has doctis, non inſipientibus ultra
Tendere; ſi tendam, vanus vanum aera captem.

Ex Florileg.

ERrantem pridem Cypris quærebat Amorem;
Si quis vidiſſet caram per compita prolem.
Eſt meus ille fugax. Magno donabitur index.
Oſcula noſtra feret, ſi mox adduxerit ipſum,
Oſcula non ſolùm, ſed multum munus habebit.
Eſt puer inſignis: Noſcas in millibus unum.
Non eſt alba cutis, rubet ardens: ſplendor in illis
Flammeus eſt oculis, mala mens, & dulcia verba.
Quod loquitur, non ſentit idem. Sunt nectaris ora,
Sed flagrans irâ truculentus decipit aſtu.

Nil

Nil habet hic verum, fallax puer impia ludit.
Cæſaries bene compta, pudor non vultibus ullus.
Parva manus, longè ſed docta emittere telum.
Spicula Tartarei norunt, & vulnera Pluto.
Eſt nudum Corpus, duplici mens obſita fraude.
Ad ſexum rapidis utrunque allabitur alis,
Viſceribus læſis conſiſtens. Parvulus arcus,
Quo tamen intento modicus ferit aſtra ſagittis.
Ex auro pharetram geſtabunt terga, nocentes
Intus erunt calami, queis me quoque vulnerat armis.
Omnia ſæva Deo, ſæva omnia, ſævior ipſi
Fax, quamvis parva, ardentem potis urere Solem.
Si capis, adducas vinctum: ſi fleverit, ulla
Ne pietas capiat, lacrymis ſcit fallere fictis.
Vinci & ridentem, ſi ſpondeat oſcula, vites.
Oſcula falſa feret, ſunt intus labra venenum.
Accipe, ſi dicat, pulchrum tibi porrigo telum:
Ne tange infidum munus. Sunt omnia flammæ.

Pœna ſequax ſceleris.

Ex Auct. gr.

EPIGRAMMA.

EScarum ingluvies Mus tecta pericula ridens;
Qui ex ipſo peteret funere lucra ſibi;
Auſus nerviloquam Phœbi eſt arrodere chordam;
Fregit at audacis chorda retracti gulam.
Quid miramur adhuc jacientem ſpicula Phœbum?
Hoſtem fila lyræ vindicis ipſa necant.

Hera-

Heraclitus, & Democritus.

Ex Pallad.

EPIGRAMMA.

HEraclîte fluat tibi fletus largior ; ætas
  Dignior eſt lacrymis, quàm fuit ante, tuis.
Nunc quoque majores Democrite tolle cachinnos ;
  Juſtior hôc noſtro tempore riſus erit.
Stultitiæ, & ſcelerum terris audacia regnat :
  Excipere hanc riſu, fletibus illa decet.

Uxor utilis, cùm periit.

Ex Pallad.

EPIGRAMMA.

ERigit extinctâ tumulum vir conjuge gratus,
  Manesque ut ſolvat carcere, fundit opes.
Nempe virum juvit properatô funere conjux,
  Cui ſua libertas hac pereunte redit.
Uxor triſte malum, ſolo ſanabile fato,
  Quæ, niſi deſierit vivere, nulla juvat.

Libido ſemper famelica.

EPIGRAMMA.

CUm Lupus eſt paſtus, non jam Lupus eſſe videtur
 Innocuus, mites Agnus at inter Oves.
Non ſuper abſumptam ſe ingurgitat heluo prædam
 Faucibus occluſis, ventre tumente cibô.
Sed facilè concoctâ rurſus cùm eſurit eſcâ,
 Fit Lupus infeſtus, qui priùs Agnus erat.
Pauliſper reticet, dum ſe explet, cæca cupîdo;
 Sed cùm defuerint pabula, rurſus hiat.

Sæpiùs opinione, quàm re laboramus.

Senec. Ep. 13.

EPIGRAMMA.

SÆpiùs, ipſa licèt res abſit, opinio torquet;
 Quæ, quod non extat, fingit inepta malum.
Hinc fallax, egreſſa modum, nimis anxia turbat,
 Fingendo, augendo, præcipiendo malum.

* * * * * * *

Malum eſt quandoque cauſa boni.

Ex Auct. gr.

EPIGRAMMA.

LEthargo torpens, lectoque phreneticus uno
Dum jacet, alterius peſſit uterque malum.
Dat vires, animumque furor, victumque veterno,
Multo contundit vulnere, mentis inops.
Vulnera utriſque juvant; una eſt medicina duobus:
Cædendo hic dormit, fit vigil ille dolens.

In captum ab amore.

Ex Lucil. lib. 7. Ep. 48.

QUi fuit infeſtô rabidi canis ore petitus,
Ille, ut fertur, aquis ora canina videt.
Me quoque dente ferox petiit fortaſſe Cupîdo,
Et rabies læſo pectore dira furit.
Nam mihi, queis flagro, licèt abſint Phyllîdis ora,
Oſtendunt, æquor, fluminis unda, calix.

Merula è retibus fugiens.

Ex Auct. gr.

EPIGRAMMA.

ET merula, & turdus ſe reti involvit eodem,
Alter cichlizans, altera manè canens.
Hæret in implexo detentus carcere turdus;
At merula è tenui libera caſſe fugit.
Qui citharâ gaudes, argutam, Phœbe, Diana
Forſan venatrix hanc tibi ſolvit avem.
Sacrum cantorum conſtat genus eſſe; canoras
Vel ſurdus caſſis lædere parcit aves.

Tria in Mundô periculoſa.

EPIGRAMMA.

PEctus, tecta, rates, labefactat, proterit, haurit;
Formâ, vi, fluctu, fæmina, flamma, Mare.
Flam̄am extinguis aquâ, Mare reddit ſępe, quod hauſit;
Fæmina ſemper obeſt, ſævior igne, Mari.

Solon

Solon curſum vitæ in decem hebdomadas ita partitus eſt, vt ſeptimo quoque anno ætas noſtra aliquam mutationem haberet.

EPIGRAMMA.

EXiſtunt primâ dentes, pubeſque ſecundâ,
Mollia lanugo mox tegit ora nova.
Quarta auget vires, & quintâ ducitur uxor,
Perficitur ſextâ mens, ratioque viget.
Septimâ, & octavâ promit facundia ſenſa;
Decreſcit robur nonâ, animique vigor.
Digreſſum à decimâ fato propiore monemur;
Sic ſenſim, dum abeunt tempora, vita perit.

Ex Floril. lib. 3. cap. 4.

EPIGRAMMA.

MYgdona digreſſum vitâ ſua vexit ad Orcum
Cymbula, non triſti portitor ore Charon.
Illa dedit victum, teſtis fuit illa laborum,
Sæpę ſenem juvit piſcibus illa gravis.
Illa ſequax Domino, cùm terris cederet, hæſit,
Nam periere uno nauta, ratiſque rogô.
Una comes vitæ, mortis comes una magiſtro:
Non potuit meliùs cymba probare fidem.

Ex Floril. lib. 1. cap. 76.

EPIGRAMMA.

SI par dulciſono Corydus cantum edit olori,
Si mœſtam ranæ cantu imitantur avem:
Argutas cuculus vincit ſi nocte cicadas,
Dulce melos fundet par quoque Muſa tibi.

Ex Florileg. lib. 1. cap. 1. Epigr. 18.

EPIGRAMMA.

JUppiter æternis adamantibus æthera claude;
Et bene munitâ fulminis arce tona.
Jam pelago, & terris Romano à Marte ſubactis;
Invia ſola Viris Ætheris alta manent.

Ex Florileg. lib. 1. cap. 5. Epigr. 6.

EPIGRAMMA.

OCeanus quamvis terras exundet in omnes;
Vel Rheni indigenæ tota fluenta bibant,
Nil minuet Romam, donec præſtaverit Orbi
Imperium ſapiens Cæſare freta ſuo.
Quercus ſacra Jovi ſic ſtat radicibus altis,
Dum folia intereunt arida, ſparſa Notis.

Motio-

Motiones animi unde exortæ?

ELEGIA.

FAma eſt hôc noſtro naſcente Promethea Mundô,
Brutorum fruſtis compoſuiſſe Viros.
Indita pectoribus calidis fuit ira Leonis,
Abditus eſt Leporis corde tremente metus.
Turtur amans fibris dulces infudit amores,
Audentes animos ales amata Jovi.
Sic homines nimio fervente libidinis æſtu
Humani redeunt, qualis origo feri.
Expreſſit graphicè Platonis fabula verum;
Muſarum falſo vera colore placent.
Pars animi inferior, commota ab imagine rerum,
Geſtit læta bonis, angitur ægra malis.
Hinc mentem variè impellunt dolor, atque voluptas;
Et, modò ſervetur norma, decôra juvant.
Acriùs his animi ferventes ignibus urgent,
Ut bona concilient, ut nocitura fugent.
Sed rationis inops excedit limite ſenſus,
Et ſemel in motu cæcus in omne ruit.
Quin trahit & mentem, quà proruit impetus, actam,
Nec ſinit, ut reputans eligat illa decus.
Ergo adhibendus erit, ratio quem præcipit, uſus,
Ut ſenſus dominâ mente ſueſcat agi.
Sic equus in primis quantò generoſior annis,
Calcitrat, & mordet, ni moderetur eques.
Cùm verò didicit frænum ſeſſore Magiſtro,
Utilis exercet bella, theatra, vias.
Sic leges experta diù, ſic moribus apta
Fit tandem Virtus paſſa cupîdo modum.

Eſt moderanda viris, non extinguenda cupîdo:
Quiſque, ubi crimen abeſt, oderit, optet, amet.
Stoica quidem ſenſus, motuſque cupidinis omnes
Funditus ex animis tollere Secta jubet.
Nullà horum patitur Sapientem parte moveri,
Virtutemque docens non ſinit eſſe virum.
Vana ſed auſteræ fuit hæc Sapientia gentis,
Fingere naturâ non patiente probos.
Ut Reges populis mens ſenſibus addita regnat;
Et populos cohibet, non necat imperium.
Et nos naturam nil præcidendo colamus,
Utamur toto facta ad honeſta viro.
Ira faces animô ſubdit, quibus acrior inſtet,
Difficilis quærens ardua lucra boni.
Servans ira modum rationis ad inclyta Miles
Fortis, ſed rarus corde tumente modus.
Qui ſe deſpectum videt, irâ percitus ardet,
Et ſe ſe ulturus ſurgit in arma dolor.
Ultio, quam ſperat, delèctat imagine vivâ,
Speſque minax morſo ridet amara labro.
Singulus offendit, ſcopus eſt quoque ſingulus iræ:
In totum livent odia dira genus.
Cognoſci ira cupit, tacitus quòd negligit oſor,
Huic eſt ignotâ peſte nocere ſatis.
Sedent lenta animis, nec magno turbida motu
Odia perturbant pectus, at ira dolet.
Ora rubent, flagrant oculi, nec membra quieſcunt;
Frigida ſuccenſo corde labella tremunt.
Quòd ſi fortè neget quis ſe læſiſſe volentem,
Damna licèt maneant, ira remiſſa tepet.
Sed donec læſi decoris dolor æſtuat intus,
Cæcâ mente furor crimen ad omne rapit:
Peſſima turbatis eſt ira, quòd illico cæca eſt:
Primum eſt iratis mens tenebroſa malum.
Lumine ſublatô creſcens furor omnia perdit;

Sic

Sic noɛte in præceps impetus omnis abit.
Hæc nimis ergo tuo ne ſurgat flamma camino,
Ne ſis non meriti ſtultus honoris amans.
Peɛtoribus citiùs ſuccenditur ira ſuperbis:
Nunquam ſe merito culta decôre putant.
Quod ſi prompta tibi Natura hos excitat ignes,
Cùm flamma excedit peɛtore, ne quid agas.
Contine tunc dextram, faciles quoq; comprime voces,
Poſtea cùm friget, fervida faɛta dolent.
Dum nox conſilium nubit, nil fide furori,
Nil fac, parte tui dum meliore cares.
Inſons interea vaneſcet in Æthera flamma:
Eſt brevis, aggeſto ni magis igne foves.
Eſcam ni præbes, mitis natura redibit,
Nam fomes vitiô non ſtimulante ſilet.
Accipe quâ trux iracundia paſcitur eſcâ,
Ut lenire acrem, ſive ciere ſcias.
Qui nos, vel noſtros ſpernunt, qui optata refellunt,
Qui damnô mulɛtant, unde nigreſcat honor.
Hinc ſi præſertim nulla ipſis lucra parentur,
Hos contra horrendis ignibus ira flagrat.
Doɛtus ab indoɛtis, à paupere dives honorem
Poſcit, ab obſcurô nobilis, atque potens.
Hos coquit obſequium rabies ultura negatum,
Magnæ fortunæ contigit ira comes.
Iras ergo movent qui vel majoribus auſis
Obſtare à magno nil tamen hoſte timent.
Si bene quis meritò neglexit tempus acerbum,
Incutit iratas gratia læſa faces.
Cui dolet optatum fruſtra, quoque pronus in iras,
Eſuriens, ſitiens, æger, egenus, amans.
Succenſentque magis ſi neglexere levamen,
Quos cenſent operâ poſſe levare levi.
Ad ſubitum vulnus ſubito excandeſcimus œſtro,
Ut ſubito exultant peɛtora feſta bono.

Qui nos ludibrio, deriſu, & ſcommate vexant,
  Quos magis infeſtos quiſque modeſtus habet.
Ardet in hos meritò potioribus ira favillis,
  Quòd nobis nullo eſt turba moleſta lucro.
Si cui damnentur quæ ſit magis ille profeſſus,
  Hoc magis adverſum perferet ira minùs.
Imò minùs, ſi fortè timet, ne vera caventur
  Objecta, & partum ceſſet ob illa decus.
Et minùs à carô veniat ſi crimen amico,
  Gratia quem ſancto jure favere jubet.
Si quis conjunctos non perſentiſcat egentes,
  Qui non attendit, negligit ille ſuos.
Si quis noſtra videt, vel nunciat aſpera lætus,
  Hæc iracundi cauſa doloris erunt.
Iram Pelidæ magnus cantavit Homerus;
  Nunc vult Margitis verſibus ira cani.

Paratô ad pii Magnatis quietem Ruri.

INSCRIPTIO:

FEſſus ab urbanis hôc parvo Rure quieſco:
  Dulcior in modicâ ſimplicitate quies.
Otia noſtra facit longus rerum uſus, Amici,
  Spes modicæ, mentis candor, & ipſe Deus.
Hîc turbam fugio, me quæro, æterna revolvo,
  Turbam odi, mecum vivo, ſuprema paro.

In laudem Plinii.

EPIGRAMMA.

PLinius eloquio naturæ arcana revelat:
Hæc gaudet fieri pulchrior artis ope.
Ingenium rerum, quod adhuc natura tacebat,
Non alio pandi debuit ingenio.
Clari qui ſcribunt Heroum geſta, creantis
Sed fuit Hiſtoricus clarior iſte Iovis.
Hæc mens digna fuit, cui mens bene cognita Mundi
Magni operis vellet fidere conſilia.
Sed pauci credunt: ideò magis eminet. Hæc ſunt,
Quàm poſſit vulgus credere, magna magis.
Juppiter hæc fecit, dicit quem Juppiter afflat;
Sic meritò humanam vincere viſa fidem.

Officium juxta menſuram cuique tribuendum.

CARMEN.

MUnia ſic peragunt non omnes omnia Nautæ:
Quiſque ſui ſatagit, melior quòd totus in uno.
Impellunt alii remos, aliique rudentes
Expediunt, alius ſentinam exhaurit onuſtam.
Aſſidet hic malô, lintres ille explicat auris.

Sibilô hic officiis judex partitur in omnes
Metra operum, ſonitu diſtinguens maxima parvo.
Hic legit in folio vada, ſaxa, in pyxide Cœlum,
Cœli habitum, ſecreta Maris mens colligit una,
Singula, & in plures deſcribit munera dextras.

Junius Brutus proprios filios occidi jubet, quòd contra patriam cum Tarquiniis conſpiraſſent.

EPIGRAMMA.

STringo Roma tuas natorum in colla ſecures;
Et patriæ patri non licet eſſe patrem.
Civis amans, fortis vindex, pater impius Urbem,
Reges, & natos libero, pello, neco.

Anacreontis Epitaphium.

Ex Florileg. lib. 3. cap. 25.

EPIGRAMMA.

HIc jacet Aſcræâ qui luſit Anacreon arte.
Fecere, ut fureret, Muſa, Lyæus, Amor.
Ars ſacra prima licet, reliqui duo prava libido,
Et prima à reliquis prima duobus erat.
Ingenuos mores ars omnis honeſta requirit,
Sed peſtis morum peſſima Muſa procax.

Ex

Ex Florileg.

EPIGRAMMA.

NOs humiles hominum, quãvis præclara geramus,
 Nulla memor grato carmine Muſa canit;
At modò reſpirent ignava per otia Reges,
 Ut Lybicus dixit, factum adamante manet.

Ex Florileg.

EPIGRAMMA.

OB morbos cùm fortè graves Archippus arator
 Expirans animam, tranſiit ad Stygios.
Hæc dixit natis: Cari exercete ligonem,
 Et quæ vita beat rura quieta colens.
At ne fallacis pelagi laudate laborem,
 Nec quos ſæpe dolet fracta carina caſus.
Cara ſolet Genitrix ut dulcior eſſe Novercâ;
 Sic eſt vitatô Terra colenda Mari.

Ex Antipatro.

EPIGRAMMA.

DUm potatus aquâ diram vigil exigo noctem,
Venit, & irato Numine Baccus ait.
Jurè luis noſtram, Veneriſque abſtemius iram.
Sic vexo ſiccos, ſic & iniqua Venus.
Sobrius Hyppoliti ſi mores fortè ſequêris,
Perdet ut Hyppolitum te fera nex ab aquis.
His dictis abiit. Nymphas ego protinus odi,
Ne qua ſit è Nymphis Phædra noverca mihi.

Servatrix fortuna precor Jove nata Sotera.

Ex Pindari Olymp.

Ode 12.

OH fors ſervatrix, Jove nata auctore ſalutis,
Urbibus ex ſiculis Himeræ ſis fauſta potenti.
Tu Mare, tu bellum, tu pacem Maxima regis.
Errant ſpes hominum per falſa volumina rerum;
Nobis certa Deus tegit omnia ſigna futuri,
Falluntur que viri, quâcunque indagine quærant:
Multa adverſa cadunt, quæ quis non ante putarat,
Multa licèt furerent, riſerunt fata repentè.
Si tua clauſiſſes prognate Philanore geſta,
Ceu Gallus, cui pugna domi, ſolâ æde parentum,
Nec te ejeciſſet patriæ diſcordia Cretæ,
Jam tua fama tuo marceſceret abdita nido,
Arbor ut effœto ſegnis marceſcit in agro.
Nunc verò Ergoteles te fecit Olympia clarum,
Te binâ ornarunt Iſthmus, Deluſve coronâ,
Nympharum Thermas, habitet tua rura beatus.

Enar-

Enarratur locus Platonis in primo de Republicâ, à contrariâ quæſtione non diſcrepans.

ELEGIA.

INclyta nobilitas omni præponitur auro;
Id quoque jactabit, qui magis optat opes:
At ſi quæſieris juſtè, fruerisque modeſtè,
Eſt nummo utilitas optima, ſanus amor.
Sunt à fortunis alimenta, & commoda vitæ;
Abſque his virtutum munia multa jacent.
Dura animum frangit, mentemque retundit egeſtas,
Ad vim compellit, dictat iniqua dolos.
A' ſe divitias Socrati confeſſus amari,
Platonis Cephalus ſic ſua ſenſa probat.
Dum flagrat in nobis ignara juventa timendi,
Omnia de Ditis carcere falſa putat.
Huic fruſtra canitur Minos, huic fabula Manes;
Poſt cineres plecti turpia facta negat.
Sed lapſu annorum, ſeròque monente ſenectâ,
Ingruit auferri neſcius iſte metus.
Tunc licèt obſiſtas, animumque avertere cures,
Cerbereus latrat cordis in aure canis.
Sive quòd hæc friget, titubatque timoribus ætas,
Semper & expectat triſtitia vita ruens:
Sive quòd æternis tandem mens proxima rebus,
Æterna obtutu iam propiore videt.
Tunc ſi facta cui fraus eſt, cenſuſque minutus,
Plectendum mordet conſcia corda ſcelus.
Quòd ſi dives eris, reddenti ablata licebit

Extre-

Extremos dulci pace beare dies.
Oh quàm jucundum ſperare ſenilibus annis
Mitia ſi liceat Iudicis ora Dei!
Ignarus morum viſus mihi Pindarus olim,
Quòd ſpem nutricem dixerat ille ſenum.
Vix ſenium ſperat, potiùs timet omnia triſte,
Nempe uſu doctum, cuncta referta malis.
Nunc tandem agnoſco, de ſpe ceciniſſe Poetam,
Quæ Cœli oſtendit proxima regna probis.
Hæc vidit ſolo naturæ lumine Plato,
Non videant quibus à Numine certa fides?
Utendæ reputentur opes, ut clara ſuadet
Nobilitas hominum, ſcilicet orta Deo.

Medæa nutans inter amorem, & iram.

Ex Stobæo.

HEheu quid audes anime? mens reputet priùs
Quàm dextra peccet, qùàmve amatos maximè
Dilaniem ſæviſſimè. Quid agis miſer?
Jam reprime conſilium ferox, & vim impiam.
Sed quid retentat fletus ejectam licèt,
Et proditam à quo miſera credebam minùs.
Vix tanta poſſet vile mancipium pati.
Ne deſeras te fortis in malis anime.
Age jam. Statutum eſt. Matris aſpectu feræ
Recedite nati; fervidum pectus ciet
Rabies cruenta. Manus furentes, ah manus
Armamur in quantum ſcelus! quantùm pavet
Natura crimen! quos meorum viſcerum
Dulces labores perdet atrox impetus!

De-

Deſcriptio pugnæ ampullantibus verbis facta per jocum.

CARMEN.

JAm vexilla Dei texerunt arva Tonantis,
Horridaque ingentes intorſit buccina coros:
Verſicoloratæ volitant in caſſide ſylvæ.
Triſtibus in parmis omni Jove fulgurat ira;
Quadrupedante ſonô quatiuntur & atria Ditis.
Anguibus eliſis frendunt ſub pondere Martis.
Ecce agiles Æthnas jaculatur fiſtula bombo,
En tormenta vomunt flammanti ex pectore mundos,
Primævumque chaos ſtridens catapulta minatur.
Nubibus excutitur Juno, jam barbara peſtis
Laxa per Oceanum diro dat vela furori,
Denſanturq; animæ, nec ſtyx mortem occupat omnẽ.

Theocr. Idilium VI.

NUper, Arate, nemus Damœta, & Daphnis in unum
Compulerant pecudes. Syrio flagrantibus arvis,
Ad gelidum fontem, viridique in margine fuſi
Carmine certarunt; hôc cœpit carmine Daphnis.
Ecce gregem Galatæa tuum pulcherrima pomis
O Polipheme petit, durumque appellat amanti.
Te miſerum, miſerum, qui non reſpexeris illam,
Averſuſque canas. Pomis petit illa tuentem
Nota armenta canem, ac implentem vaſta latratu
Littora, dum proprios miratur in æquore vultus.

Ah

Ah cave, ne inſiliens in candida crura puellæ,
Vulnere tingat ebur, patriis dum fluctibus exit.
Jam ſatis ipſe ſuo torrente cupidine languet,
Hos tanquam Cinaræ cùm primò intenditur æſtas.
Illa ſequacem odit fugiens, ſequiturque fugacem,
Et ſaxum omne movet. Facit hoc Polipheme Cupîdo,
Ut minimè pulchrum pulchrum videatur amanti.
Reſpondit Damœta pari modulamine dulcis.
Per Pana hanc vidi pomis armenta petentem.
Vidi oculo hôc carô, manſuro & ad ultima vitæ
Quæ contra cecinit vates mihi Telemus, illa
Auferat, in propriam vertantur ut omina prolem.
Verùm hanc ſic ſtimulo. Nuſquam reſpecto tuentem,
Fingo placere aliam, quòd Nympha exterrita credens
Rumpitur. Oh Pæan quàm rumpitur! Exilit undis,
Acta velut furiis, in caulam excurrit, & antrum.
Nec canis huic latrat, nempe hanc cùm nuper amarē,
Applicuit nares gremio blandita puellæ.
Fortaſſe illa preces cùm ſæpe hoc fecero mittet.
Sed claudam ipſe fores, donec mihi ſerviat uni,
Et ſupplex in verba mei jurarit amoris.
Nam mala forma mihi non eſt, velut eſſe loquuntur,
Reflexum placido me nuper in æquore vidi.
Eſt mihi barba decens, oculus mihi pulcher, & unus;
Judice me dentes Pariô plus marmore candent.
Conſpui ego pectus mihi ter, ne faſcina lædant;
Scilicet hanc docuit longæva Cotyttaris artem,
Quam quondam cecinit meſſoribus Hippocionis.
Hìc tacuit, ſociôque dedit clara oſcula carô,
Et Syringa dedit, donata à Daphnide contra
Fiſtula Damœtæ, grege namque ad carmina læto
Damœtam Syrinx, decorabat fiſtula Daphnin.
Tunc neuter vicit, nam cantu invictus uterque.

Theo-

Theocriti Cyclops.

Idil. XI.

PHarmaca nulla puto (ſint aſperſa, illita, pota)
Nicia, tam certè læſis ab amore mederi,
Quàm Muſas. Lenis, dulciſque hinc cura dolenti.
Non tamen inventu facilis. Tu noſcis, opinor,
Scilicet Aoniis nutritus ad iſta Deabus.
Si jam curavit Polyphemus noſter amores,
Ille vetus Cyclops Galatææ addictus iniquæ,
Cùm vix barba genas florente ætate notaret.
Vulnera fecit amor, non pomis illa, roſiſve,
Non curanda oleo, ſed dira, ſed intima cordi,
Jamque inſanus amans errabat in omnibus amens.
Jam ſinè Paſtoris ductu grex ſæpe redibat
A' paſtu ad caulam, dum paſceret ille dolorem,
Solus ab aurorâ cantans in littore Nympham,
Tam ſævum à Cypriâ penetrarat viſcera telum.
Aſt curam invênit; nam à littore in æquora verſus
Sic pulchram vultu, ſic duram corde vocavit.
Oh candens Galatæa, quid averſaris amantem (*).
Caſeolis magis alba meis, & mollior agno,
Lætior & vitulo, maturâ & dulcior uvâ!
Arſit cara tuis hoc pectus amoribus olim,
Cùm tecum mea Mater erat, dux ipſe præibam (*).
Tu tibi conſimiles flores in monte legebas.
Poſtea non habui, niſi cùm te ſpecto, quietem.
Sed me nil curas: cauſam tamen improbe noſco.
Fronte ſupercilium totâ ſuperincubat ori
Promiſſis ſetis, quas uſque reflectit in aures.
Unus ineſt oculus, naſus labro amplior amplo.
At mihi vel tali ſunt mille in montibus agnæ (*),
Quas

(*) *Ovid. Met. lib.* 3. (*) *Virg. Ecl.* 8.
(*) *Virg.*

Quas mulgens lac dulce bibo, tum pingue coactum,
Æſtate, Autumno, brumâ mihi ſemper abundat.
Nemo Cyclopum modulâ mihi certat avenâ,
Cùm pomum te dulce canens vigil exigo noctes.
Undecim ego gravidas omnes tibi nutrio cervas,
Quatuor urſorum catulos: dilecta venito;
Hæc tua jam fient. Sine pulſet littora pontus,
Te placidam noſtro nox alma fovebit in antro.
Hìc Daphe formoſa viret, pulcherque cupreſſus,
Hìc hederæ nigræ, vites hìc nectare plenæ.
Hìc gelida Æthnæis nivibus mihi defluit unda:
Fluctibus hæc veſtris quis non præponat amaris?
Sim licèt horridior, mihi ſunt è robore ligna:
Perpetuos ignes cineris ſup tegmine ſervo.
His mihi crudelis pectuſve, oculumque perurre.
Unicus hic quamvis mihi ſit ſuper omnia carus,
Quicquid tu facies, animô tolerabitur æquô.
Oh me cum ſquamis peperiſſet Mater! Adirem
Ad te per fluctus, & candida lilia ferrem,
Vel folio ad ludum ſtrepero, mollique papaver;
Sed quædam dat hyems, quædam dat ruribus æſtas;
Ut tibi (quod cuperem) nequeant ſimul omnia ferri.
Nunc tamen, oh Virgo, nunc ſi quis venerit hoſpes,
Qui doceat, diſcam veſtras innare per undas,
Ut tandem experiar vobis, domus humida ponti
Cur adeò placeat. Galatæa è fluctibus exi
Te pulchrâ indignis, & poſtquam exiveris illis
Rura colens mecum obliviſcere cara reverti.
Ah mecum malis armenta educere paſtum,
Mulgere, & calathis inferre coagula mecum:
Sed de matre queror; ſola eſt mihi mater iniqua,
Aſſiduè quæ me magis intabeſcere cernens,
Quicquam dulce tibi pro me non dixerit unquam.
Sed capite, & pedibus me dicam utriſque dolentem,
Ut quoniam triſtor, miſerans triſtetur, & illa.
O Cy-

O Cyclops Cyclops, quæ te veſania læſit (*)!
Texere vel calathos, vel prato meſſa virenti
Pabula ferre agnis melior tibi cura fuiſſet.
Adſtantem mulge. Sequeris quid ſtulte fugacem?
Invenies aliam magis hac fortaſſe decôram.
Jam multæ inventæ noſtris ab amoribus ictæ,
Quæ gratum læto cecinerunt carmen amanti.
Et nos in terris aliquid ſumus. Iſta ſuperbæ
Sic cecinit Cyclops meliùs medicatus amores;
Quàm ſi profuſo curaſſet prodigus auro.

Theocriti Idil. XXIII.

Flemus Adonin, obit fata impia pulcher Adonis;
Pulcher Adonis obit, triſtes lacrymantur Amores.
Purpureo è lecto jam ſurge miſerrima Cypris,
Et nigro in peplo tua candida pectora plangens,
Omnibus exclama. Periit mihi pulcher Adonis.
Flemus Adonin, obit pulcher, lacrymantur Amores;
Pulcher Adoni jaces in ſylvis ſancius album
Albo dente femur, pejori vulnere Cyprin
Lædis agens animam; nigri tua membra cruores
Lactea jam fœdant, oculos mors ferrea nubit,
Perdunt labra roſam, tecum ſimul ipſe perire
Viſus Amor, niſi fida Venus ſervaret Amorem;
Nam moriente viro vult vivere Cypris Amorem;
Exangui oſtendit lacrymas teſtata dolorem.
Tùm fidas lacrymas heu jam non cernit Adonis.
Flemus Adonin, obit pulcher, lacrymantur Amores;
Dirum vulnus habet, dirum violatus Adonis
In femore, at multò gravius ſub pectore Cypris.
Fida corona canum circùm latrat, impia fata
Montanæ incuſant Nymphæ, Cytheræa ſolutô

Crin

(*) *Virg.*

Crine furens errat, ſinè peplo, oblîta cothurnos
Nec ſentit, ſacrô quos tingit ſanguine ſentes.
Illa cruore vepres, terram fletu, æthera voce
Implet, & Aſſyrium repetit ſinè fine Maritum.
Heu Venus infelix! Clamate dolenter Amores.
Illi obiit pulcher, ſua forma & languit illi.
Pulchra fuit Cypris, dum pulcher vixit Adonis,
Forma Deæ periit, periit cùm pulcher Adonis.
Jam valles, colles, ſylvæ, agri, flumina, pagi
Cypridis ærumnas, occiſi fata loquuntur.
Flora dolore rubet, Cypris per rura per urbes,
Vel rupes motura canit miſerabile carmen.
Heu miſeram Venerem! Periit formoſus Adonis!
Echo reſpondet. Periit formoſus Adonis.
Quis rigidus miſerum Veneris non flevit Amorem,
Ut vidit ſævum, ut cognovit Adonidis ulcus?
Illa manus teneras ad carum exparſa: Parumper
Dixit Adoni mane, donec dolor ultima ſenſa
Fundat, Adoni mane; verbis mea vita ſupremis
Reſponde extremum, jecoriſque ſub intima noſtri
Spiritus ille tui dulciſſimus influat oris.
Hic mihi ſit philtrum manſuri in pectore amoris:
Hunc ego ſervabo pro te fugiente per umbras.
Ah miſer uſque fugis longiſſimè ad infima Mundi
Crudelem ad Regem. Sed ego Dea, ſcilicet impos,
Aut te morte ſequi, finire aut morte dolorem.
Accipe tu felix noſtrum Proſerpina Adonin.
Tu potior nobis. Ad te pulchra omnia tendunt.
Pejor morte mihi dolor eſt ſinè fine dolenti,
Nempe timore tui creſcit de Conjuge luctus.
Tu moreris (video & vivo) optatiſſime rerum,
Deliciæque tuæ jam me quaſi ſomnia linquunt,
Solaque jam vacui per tecta vagantur amores.
Et quem donaram perit hôc in funere ceſtus.
Ah tibi quid placuit, puer audaciſſime, ſævas
Exagi-

Exagitare feras, cùm formoſiſſimus eſſes
Ad noſtros luſus, nec ad iſta ferocia factus?
Hic Veneris luctus, fuit idem luctus Amorum:
Heu miſeram Venerem, periit formoſus Adonis!
Illa dedit lacrymas, quantùm dedit ille cruorem,
Tunc ſed uterque dolor vernos Floræ auxit honores;
A' lacrymis Anemon riſit, Roſa picta cruore eſt.
Sed Venus in ſylvis jam deſine flere Maritum.
Eſt thorus huic mollis ſuprema ad juſta paratus,
Nempe tuus; pulchrum lecto compone cadaver.
Dulcis uti ſomnus facie mors ridet in illâ,
Hìc tu dilectum conclama rurſus Adonin.
Illi affunde ſuos flores, illi adde coronas,
Quamquam illo extincto periit quoque gratia florum;
Quin linis unguentis? ſed Diva abſiſte; ſed omne
Unguentum pereat, periit nam ſuavis Adonis
Unguentum ille tuum. Jacet ille reclinis in oſtro;
Et circùm lugent divinum funus Amores,
Detonſi in luctu, triſtis telum ille retundit.
Hic arcum frangit, poſt ſe trahit iſte pharetram;
Extincto hic ſolvit ſoccos, hic ſedulus amnem
Commixtum lacrymis cælato portat in auro.
Ille lavat vulnus, poſt terga is ventilat alis;
Vana refrigerii ſic fabula luditur illi.
Officium Matri ſolvunt pietatis Amores.
Extinxit ſimul ipſe faces in poſtibus Hymen
Mœſtus, & abjecit genialem à fronte coronam:
Dulce melos quondam non ampliùs inſonat Hymen,
Carmen & occiſi ſucceſſit Adonidis heu heu.
Complorant Charites, lugent ſua crimina Parcæ,
Et ſuperant fletum Veneris, verùm ille nec audit,
Nec valet, ut cupiat, prohibent nam Tartara ſenſum.
Nunc ſatis, oh Cypris. Sedent convivia luctum.
Hic tibi mox alium repetendus luctus in annum.

Ad

Ad Patriam ſuam.

CARMEN.

OH Patria, oh ſemper crudeli exercita Marte;
Ob dotes vexata tuas, quando area belli,
Quando timens bellum, cui pax infeſtior armis.
Quid tibi deliciæ collis, quid læta ſatorum
Gramina, quid rivis paſſim ebria prata, quid altæ
Moles, quid ſplendor rerum, Populique frequentes,
Quid nomen, quid opes, quid cultæ Civibus artes,
Sidere ſi Martis pereunt afflata maligno,
Si cernuntur adhuc bellorum horrentia fumô,
Expectantque novas ambuſta Mapalia flammas?
Quin facit ubertas, facit hæc clementia Cœli,
Altiùs ut clades agri miſeremur opimi.
Nam crudele magis cenſemus ferrea tantis
Fata nocere bonis naturæ adverſa faventi.
Sic magis occiſum flemus, cui cenſus abundans,
Forma, juventa, decus, duræ jam crimina Parcæ.
Nam dum læduntur, queis optima ſidera rident,
Majore invidiâ Cœli violantur amores.
Sed nobis pejora canit non una Celæno,
Et terret noctes qui nunciat horrida bubo.
Quamvis nulla movent me vana hæc ſigna futuri;
Nec moror aſtrorum vates ferale minantes
Sedibus exitium vicina in tempora noſtris.
Non eſt humanum Cœli divinitus acti
Pandere conſilium, Mundique edicere mentem:
Conſenſu rerum moveor caput undique noſtrum
Conflatâ quæ mole petunt. Torrentis ad inſtar
Conveniunt toto noſtra infortunia Mundô.

Dirus

Dirus in Auſoniis ſtridet jam finibus ignis,
Proxima jam multæ volitant in tecta favillæ.
Sed quamvis inſtent, & ſurda palatia lambent
Non ſervaturæ cineris confinia flammæ,
Nemo lares uſtura ſuos incendia curat.
Hic me communis vicinâ in morte veternus
Commovet, & Cœli decretas indicat iras.
Nam dum certa parant impellere fata ruinam,
Conſilium impediunt hominis, quo fulcra parantur,
Cunctoſque immiſsâ veluti torpedine figunt.
Æolus ut rabidos meditatur in æquora ventos,
Præcedit lenti mox flenda malacia ponti:
Sic magnas ſemper portendere viſa procellas
Prævia communi communis inertia cladi.
Sed magis, oh cives, creſcentia crimina terrent,
Jam tandem plectenda Jovi, nec fulmina poni
Iracunda ſinunt. Hæc Numen dulce ſeveras
In ſtrages adigunt, quòd nos levioribus ante
Damnis ſæpe monens, longâ pietate monendî
Omnia conſumpſit pœnæ præludia tardæ.
Quid facimus Cives, dum nos conferta malorum
Ilias urget atrox, eademque in fata vocatis
Deſerimur ſociis, & ſpes humana feſellit?
Si precibus tentanda ſalus, lacrymiſque petenda,
Quin flemus ſuperis, quorum infinita poteſtas
Hoc ſe poſſe negat lacrymis obſiſtere noſtris?
Quin ceſſat furor hìc morum per cuncta ruentûm
Flagitia, & miſeri cur pergimus eſſe nocentes?
Supplicat in caſſum Populus, niſi ſupplicat inſons,
Et magis exſtimulant injuſti vota Tonantem.
Vos fractas lugetis opes, & publica damna,
Dum tamen innumerâ circùm famulante catervâ
Turgida Phœbeis incedit curribus Uxor.
Quid ſi mox reliquas ferat hæc inſania noxas,
Unde ſuperba rapax luxum ſuſtentat egeſtas?

Cùm purganda Deo Ninive ſua crimina fleret,
Non credo hos faſtus petulans ad templa ferebat,
Ebria nec vitiis tunc Saturnalia feſtis
Egit, nec Muſas produxit ſcena procaces.
Sed ſparſi cineres capiti, ſed corpora plexis
Funibus horrebant, animos deſtata dolentes.
 Cernitis, oh cari cives, pax unde petenda,
Quâque velit pietate peti. Vix una ſalutis
Hæc via reſtat adhuc, per quam ſervamur utriſque,
Et terræ, & ſuperis; extra hanc utriſque perimus.

De ſimulacro Medææ, filios occiſuræ.

Ex Florileg. lib. 4. cap. 9.

EPIGRAMMA.

Timomachus dulcem Medæam pinxit, & acrem,
 Quam ciet in Natos ira, retardat amor.
Diverſi expreſſi mores: Tenet alter amantem
 Prolis, at ultricem Conjugis alter agit.
Oppoſitos miſcens, ambos explevit imago.
 Sunt lacrymæ in rabie, ſunt in amore minæ.
Uxor ſæva furit, ſed non oblîta Parentem,
 Reſpicit hinc Natos pellicis inde memor.
Uxori, & Matri facies hæc ſufficit anceps,
 Pictor ait, ſenſus inter utroſque labans.
Stragem non pinxi Medææ, hæc ſæva reliqui,
 Namque hæc Timomachi non decuere manus.
Ars ſacra non tolerat tantum neque fingere crimen:
 Ingenium Muſis non niſi mite placet.

Mittens

Mittens placentam ſaccharo condîtam ad quoſdam Regulares Rhetores.

EPIGRAMMA.

JEjunis Muſis nil prodeſt copia fandi ;
Tunc Pindi melior melle placenta placet.
Sed mitto modicam multis. Sors invida vobis,
Quæ bona vix monſtrat, corripit orbe brevi.
Stricta placenta cuprum non explicat, unde vocatur,
Nec mereat famâ vincere inepta famem.
Vos augete animis noſtra hæc munuſcula gratis:
Sic munus, punctum quod fuit, orbis erit.
Eſt punctum. In puncto vix poſſit tangere dentes.
Gratia ſi redeat muneris, orbis erit.

In æream ſtatuam Icari in balneo.

Ex Floril. lib. 4.

EPIGRAMMA.

ICare, cera liquens te fudit in æquora quondam:
Te nunc è cerâ fundit in æra faber.
Aſt hunc ne tentes malè ſumptis aera pennis,
Balnea ne facias, ſi cadis, Icaria.

Ex Florileg. lib. 4. cap. 9.

EPIGRAMMA.

ANdromedam vinxit Cepheus ne,an pictor in actâ?
Hic certè viſus rem ſuperare color.
Appicta eſt ſcopulis immanibus impia Cete,
Vicino an turgens æquore vera venit?
Ars fallens oculos animos movet; eſſe nequibat,
Nec mage pulchra oculis, nec mage vera animis.

Ex Florileg. lib. 3. cap. 23.

EPIGRAMMA.

PLurima liquerunt obſcurum littora nomen;
Clarius à claris poſtea dicta viris.
Tu quoque formoſi ſume Inſula nomen Amoris;
Sic erit à dulci numine dulce decus.
Nam tegit occiſum felix tua gleba puellum,
Cui dedit Idalius nomen, & ora Deus.
Tu Mare, tu littus pulchros ne lædite Manes;
Sit levis extincto terra, ſit unda ſilens.

Alce-

Alceſtis apud Euripidem.

CARMEN.

OH dulces thalami, dum dulces fata ſinebant,
Vos ubi jam carô laxata eſt zona Maritô,
Accipite Alceſtes ſuprema hæc oſcula veſtræ.
Felix, heu breviter felix veſtro uſa cubili
Vixi læta viro, & pulchris lætiſſima natis.
Invidêre Dii mortali hæc gaudia ſorti,
Ipſe invidit Amor, nam vos jubet ipſe relinqui,
Et nimiùm quòd amem, nimii linquuntur amores.
Vos alia implebit: Sit me felicior illa;
Sat mihi ſi maneat per me felicior ille.
Illius poterat ſubeuntes fata parentes
Emeritum ſenium florenti impendere nato.
Sic mihi conjugii, regnique, & prolis adultæ
Plena bonis juſtum ad finem decurreret ætas.
Aſt hoc non placitum ſuperis. Nos fata ſequamur;
Tanta nec invito minuatur gratia lecho.

Ad intempeſtivè properantes ad ſublimia ſtudia.

ELEGIA.

QUid feſtinatis maturæ ad ſacra Suadæ
Qui modò liquiſtis, patre jubente, nuces?
Eloquii non dulce bibunt ab Apolline nectar
Quæ Nutricis adhuc lacte labella madent.

Non ita ſe vulgat Pytho nugacibus annis,
Multiplici cultos poſtulat arte viros.
Poſtulat ingenium firmatâ ætate ſubactum,
Et mores uſu multa docente graves.
Unde uſus rerum, ſeu quæ experientia morum,
Quos animi fluctus noſtis, & unde fluant?
Vos loca tractetis, quibus omnia rite probantur;
Noſcatis ſedes, unde petenda fides?
Eſt gravibus ſtudiis levitas puerilis inepta,
Ætas judicio firmior iſta capit.
Perditis hìc operam pueri, nam meſſis acerba
Non eſt de primis floribus apta cibô.

Bonus Orator quis ſit.

EPIGRAMMA.

ORator facture fidem ſic dicito primùm
Altè quæ tractas, ut videare ſciens.
Impedit aſſenſum ſuſpecta inſcitia noſtrum:
Ignaro & verum credere quiſque timet.
Tum te oſtende probum; fallit, ſolùmque ſuevit
Ut magis imponat, dicere vera malus.
Non niſi vera ſolet, niſi quæ putat optima fari
Vir probus, & Virtus à bonitate ſapit.
Te demum oſtendes cari auditoris amantem:
Sic fit prompta fides; cuncta ſuadet amor;
Qui ſe dilectum credit, dicta omnia credit;
Creditur oſtendi certa ab amore ſalus.
Sic ſint dicentes: in magnâ ſæpe coronâ
Pondus habet ratio, ſed magis auctor habet.

In idem Argumentum.

EPIGRAMMA:

FLexanimam quiſquis meditabitur arte ſuadam,
Arguat, & rerum pondere dicta probet.
Clara voluntati Mens hæc funalia præfert,
Hôc ſolet ingrediens lumine vera ſequi.
Tum quoque ſit lepidus, gravibuſque admixta venuſtas
Excitet auditum, faſtidiumque levet.
Magna voluptatis noſtra eſt in corda tyrannis;
Quæ magis oblectant, credimus illa magis.
Maxima cura tamen ſit flectere pectora dictis,
Ut ſic aſſenſum mota cupîdo trahat.
Ut favet, aut odit, ſic cenſet pleraque judex,
Sæpe agitur ſenſu, judiciumque putat.
Scilicet auditis mea mens rationibus, urget,
Ut ſic eſſe putem, ſenſus ut eſſe velim.
Credentes alii verum, tunc cedimus illi,
Sed favet indulgens ipſa libido ſibi.
Ut ratio vincat magnâ eſt virtute parandum;
Natura, ut ſenſus polleat, ipſa facit.

Mittens ad Religioſorum cœtum olei vaſculum.

ELEGIA.

PRoxima cùm referant duram jejunia luctam;
 Vobis ungendis olla minuta venit.
Exiguis loculis, queis Farmacopola recondit
 Extritas gemmas, mittitur olla minor.
Hanc aliquis cernens facienti grandia vitro
 Diceret: En punctum, pars ubi nulla datur.
Olla minuta venit, nimio ne pinguis olivo
 Obſtipet veſtrum craſſa Minerva caput.
Hac olei ſtillâ culicis non ala teneri,
 Nec minimo poſſit tempore lychnus ali.
Non ſatis hac poſſit tenuiſſima cuſpis inungi;
 Atomus haud iſto tota liquore natet.
Nolo unctos nimiùm. Sino vos pietatis ad eſcam
 Hôc ſacro cogat tempore ſancta fames.
Lætitiæ meliore oleo Deus ungere ſiccos
 Aſſolet, & vacuæ dulcior eſſe gulæ.
Muneris en ſordes quàm bellè excuſat avarus!
 Conſtantem eſuriem quàm bene laudo ſatur!

Ex eo quòd peſſimè aliquando corrumpitur, non ideò omne optimum damnandum.

CARMEN.

FAlx quamvis temero meſſorem vulneret ictu;
Omnis non ideò falcis damnabitur uſus.
Muſa licèt mores vitiet, medicina ſalutem,
Vera licèt Logicus convellat, juſta diſertus,
Civibus has nemo meritò interdixerit artes.
Forma, valetudo, vires, mens, gratia, cenſus
Exitio mulctant, niſi rectè utatur, habentem.
Ingenio tamen iſta ſuo ſunt commoda vitæ:
Non eſt in rebus, ſed pravo eſt crimen in uſu.

Alcmanis Epitaphium.

Ex Floril. lib. 3. cap. 25.

EPIGRAMMA.

NE petrâ metire virum; nam parvula viſu,
Tumba tamen magni contegit oſſa Viri.
Hìc jacet Alcmanes Cytharæ mens alta Lacænæ,
Quam Muſæ implerunt toto Helicone novem.
Sparta ſuum clamat, ſic Lybia. Utræque tacete,
Quâ decus eſt melodi, Patria Vatis ibi eſt,

Ex Florileg. lib. 3. cap. 14.

EPIGRAMMA:

COndita Neptuno cadit Hectore Troja cadente,
Cum duce ſic jacuit Pella ſepulta ſuo.
Illuſtrant cives patriam, non patria cives.
Non loca dant lucem, ſed loca luce nitent.

Ex Floril. lib. 3. cap. 23. Epigr. 7.

EPIGRAMMA:

EUſthatii effigies dulcis, ſed cerea tandem,
Ore nec ut quondam grata ſuada ſedet.
Heu flos, qui pulchræ vernaverat ante juventæ,
Aruit, & modico pulvere ſparſit humum.
Ætas, dum decimo jam cœperat ire triluſtris,
Bis decimo, & ſexto Sole oriente cadis.
Nec thronus altus Avi juvit, nec gaza Parentis;
Qui videt effigiem ſic tua fata dolet.
Pulchrior haud fingi potuit clementia formæ,
Nec fingi Mortis ſævior ira poteſt.

EPIGRAMMA:

TUrpiter abjectis fugiens Damatrius armis;
Maternos oculos perculit opprobrio.
Illa pudore ferox Natum tranſverberat haſtâ,
His etiam ignavum vocibus ulta ſcelus.
Jam morere, & Spartam purga. Quid patria peccat,
Si fallis mammas degener ipſe meas?

Ex Antiphilo Bizantio.

EPIGRAMMA:

PEr Mare dux juvenum docuiſti audacia curſum,
Tu miſeras animas perdis amore lucri.
Noxia quid nobis ſtruxiſti ligna per undas?
Cur facis, ut dirâ morte ſequamur opes?
Aurea ſæcla forent, ſi longè à littore pontus
Sic ſpectaretur, Ditis ut atra domus.

Mendicus ſtipem quæſivit Ælio Adriano Imperatori diſtico græco, latinè ita dicenti.

Dimidio perii, reliquoque famelicus angor:
Rex ſerva medii muſica membra ſoni.

Imperator ita reſpondit.

Et Solem, & Stygios tu crimine lædis eodem;
Et Solem, quòd ades, & Stygios, quòd abes.

In Italiano dicono così.

Mend. Sono per la metà di vita caſſo,
L'altra quaſi la fame ha già sfornita.
Queſto, o Ceſare, aita
Muſico ſemituon, che cade in baſſo.
Adr. Perchè il Sole ancor miri,
Perchè a Pluto non ſcendi,
Il Re del lume, e il Re de l'ombre offendi.
Ben ſono empj delirj
D'un Alma al Ciel rubella,
Cercar pietà con sì nemica ſtella:
Il ſottrarſi morendo a ſorte dura
E' il più ſaggio valor de la ſventura.

In laudem Præſulis vigilantiſſimi.

EPIGRAMMA.

Vitales oculos Paſtoris ſentit Ovile;
Sunt duce præſenti paſcua læta magis:
Hic virgâ, & baculo ſolatur Ovilia Paſtor.
Oh quàm ſubjectis dulce ab Amante regi!

Roſa, ſymbolum humanæ caducitatis.

EPIGRAMMA:

MAnè rubens foliis vernat roſa, veſpere pallet;
Pulchra parum vivit purpura, ſpina manet.
Fluxa voluptatis natura hôc flore notatur;
Illico diffugiunt dulcia, dura manent.

Stulta ſedulitas.

EPIGRAMMA:

POcula rara quidem, ſed pulvere ſordida multo,
Sedula dum tergit, frangit inepta manus.
Ars curâ perit immodicâ: malè providus auctor
Perdidit ah quoties, dum nimis ornat, opus.

De Bigamo.

EPIGRAMMA:

CUr me iterum navim emenſo committere ponto,
Et quæ contraxi, pandere vela jubes?
Quid geminas quæram: crux una eſt cuique ferenda;
Ille ferat geminas, cui fuit una levis.
Sit Bigamus, quem facta parum docuere pericla;
Stultum eſt excuſſo ſubdere colla jugo.

De

De Echo.

EPIGRAMMA.

ECho ego muta loquax, tu dic bona verba Viator,
Aures ne lædam rurſus acerba tuas.
Mimula ſermonis, vocis fæx, caudaque verbi,
Auditos ſoleo reddere fida ſonos.
Quæ dicente feram, quæ celas, ipſa tacebo,
Me lingua in terris juſtior eſſe nequit.

Moderatio.

Sumpta ab Auctore græco.

EPIGRAMMA.

NOn amo, qui tumido jactat me vortice, pontum,
Nec poſitis ventis, quæ ſilet unda, placet.
Quod ſatis eſt laudo; menſura eſt optima rebus.
Turpis, qui in modico munere ceſſat iners.
Ergo modum ſervans, fœdas horreſce procellas;
Vita leves zephyros, queis bene fidis, habet.

Fabu-

Fabula deſumpta ex Auctore græc.

EPIGRAMMA.

TOta madens nivibus gallina obduxerat alis
Pullos, ne prolem læderet acris hyems.
Incubat officio conſtans, ſed frigore victa,
Provida dum natis conſulit, illa perit.
Vos vel poſt cineres pudeat Progne, effera Colchis,
Cùm doceant ipſæ munera Matris aves.

Prudentia.

Ex Phœniſſis Euripidis.

EPIGRAMMA.

OMnes ante vias explora, atque omnia tenta,
Quàm præceps vitæ dira pericla ſubis.
Ut bene procedat, prudens, quod ſuſcipis, aude
Conſilium, & vires ſint tibi juncta ſimul.
Utrumque alterius poſcit ſibi fulcra, valetque
Nec ſinè mens dextrâ, nec ſinè mente manus.

Ira abſcondita ferocior.

Ex eodem.

EPIGRAMMA.

VItatu facilis, quæ vultu proditur, ira,
Pectore quæ tegitur, ſæviùs ira nocet.
Iratum facilè vinces iram ore profeſſum;
Sæviùs, iratus qui ſilet, ille nocet.

Nulli te facias nimis ſodalem.

Ex Hippolyto Euripid.

EPIGRAMMA.

HOc quoq; me monuit, quę nos multùm erudit, ætas,
Ne quenquam toto pectore certus amem.
Sed ſit amor, minui qui poſſit, latiùs idem
Extendi, cordi ne ſit amare grave,
Nam grave fert pondus, duplici qui ſolus acerbo
Conficitur luctu, damna aliena dolens.
Cura intenta nimis, corpuſque, animumque fatigat.
Quod nimium eſt, prudens improbo, laudo modum.

Verum

Verum conjugium.

Ex Alceſtide Euripid.

EPIGRAMMA.

NOn duplicẽ thalamũ, & duplici de conjuge prolẽ
Laudo, quæ replent lite, dolore domum.
Fida ſit, atque uno conjux contenta Maritô;
Unâ contentus conjuge virque cubet.
Imperium geminum grave pondus duplicat orbi,
Et miſeros cives ſeditione quatit.
Sæpe inter geminos ardet diſcordia fabros,
Et gemini vates carmine bella gerunt.
Vento agitante ratem, gemini ſi vela gubernent
Conſiliis varii, merſa carina perit.
Mens magis, inſtructæ quàm plures lumine multo,
Quamvis conſilio ſit minor, una valet.
Ut bene res Dominis privata, & publica cedat,
Jura det una urbi mens, regat una domum.

Varia prudentia in malis.

Ex Euripide.

EPIGRAMMA.

CUm non magna quatit tempeſtas turbida navim;
Vincere quam Rector ſed queat artis ope,
Egerit hic fluctus, clavum tenet alter, & ille,
Ne pereat navis, turgida vela regit.

Incre-

Increbuit ſed ſi ventus vehementior, omnis
Ceſſat Nauta, errat fluctibus acta ratis.
Sorti obſiſte gravi; ſed cùm truculentior urget,
Quæ nequis obſiſtens vincere, ferre ſcias.

Amans, & Amens.

Ex eodem.

EPIGRAMMA.

STultitiæ, & Veneris, græcè ſi noſcis, iiſdem
Principiò literis nomen utrumque ſonat.
Et bene: nam mentem primò Venus eripit illi,
Quem capit; & captum non niſi ſtulta docet.

Fortuna.

Ex græc. Auct.

EPIGRAMMA.

NEſcia conſilii & legis, regit effera Gentes
Fortuna, incertis fluctibus acta ſuis.
Hæc favet injuſtis, hæc odit jura colentes;
Hac ratione probat, quod ratione caret.

Umbra

Umbra culpæ eſt pœna.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA.

IN trivio calvam conſpexit fortè Viator,
Nec flevit vitæ triſtia fata brevis.
Quin caput audaci lapidis malè perculit ictu;
Arida ſenſerunt oſſa ſed icta ſcelus.
Inde lapis rediens, jacienti lumen ademit,
Cui nocuit nimiùm docta ferire manus.
Ipſe luit ſtygio ſubmerſus carcere pœnas:
Defendunt Manes ſaxa vel ipſa pios.

In Poetam malum, & Chirurgum imperitum.

Ex Auct græc.

EPIGRAMMA.

NOn aqua tot gentes merſit ſub conjuge Pyrrhæ,
Non Phaetonteo tot periere rogô.
Quot Potamon homines adverſo Helicone poeta,
Et quot Chirurgus perdidit Hermogenes.
Quatuor hæc igitur nocuerunt peſſima terris,
Deucalion, Phaeton, Hermogenes, Potamon.

Poeta

Poeta parcè remuneratus.

Ex Anſt. græc.

EPIGRAMMA.

Immensùm modico fremit ebria rore Cicada,
  Quâ minùs argutè concinit albus olor.
Sic parcæ quæ pauca dedit munuſcula dextræ,
  Multo reſpondet carmine muſa loquax.
Grates lingua ſonat: re tantùm gratia conſtat;
  Scilicet os donat plurima, pauca manus.

Miles ignavus.

Ex Anſt. græc.

EPIGRAMMA.

Vidit ut Iliacum (pictura oſtenderat) agmen
  Miles, ad argivas edere bella rates.
Pallidus, immotis venis, proſternitur ille:
  Me vivum, clamans, martia turba cape.
Sic ne ictus, quærit; mox ut ſe vivere ſentit,
  Picturæ ſpondens æra, redemptus ovat.

De

De Olympico.

Ex eodem.

EPIGRAMMA.

POrcino inſignis vitandus olympice, roſtro;
Ne vitrei puras inſpice fontis aquas.
Nam ſi te videas, Narciſſi imitabere fatum:
Ille occumbit amans, oſor at ipſe tui.

Hoſtis munera exitioſa.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA.

POſt obitas Hector pugnas, & ſcutiger Ajax;
Pignus amicitiæ, mutua dona ferunt.
Ajacis munus zonam enſe remunerat Hector:
Funere, quid proſit munus, uterque probat.
In ſua veſanus ferrum Ajax viſcera condit;
Raptatum bigis Hectora, zona trahit.
Ergo per hoſtiles veniunt quæ tradita dextras;
Muneris obtentu viſa juvare, necant.

Irriſoria Naſi deſcriptio.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA.

CAſtoris eſt naſus medîô tuba bellica ſomno ;
Falx metit hæc ſegetes, hic fodit arva ligô.
Anchora navigiis, jacenti ſemen aratrum,
Hamus piſcanti, fuſcina curva coquis.
Sculptori ſcalprum eſt, oleri falx parva ſecando,
Cantharus in foribus, pigra dolabra fabris.
Vultu inſtrumentum geſtat mirabile Caſtor:
Hôc faber omnis habet quidquid ab arte petit.

Amor Mulierum lucri avidus.

EPIGRAMMA.

FLagraſti Veneris dives Soſicrates igne,
Pauper non es amans: quæ medicina fames!
Delicias te Menophile ante vocabat Adonis,
Nunc ſtupet auditô nomine vafra tuo.
Poſtulat, unde venis? quinam es? quæ patria? noſti
Vix hoc effatum: nullus amatur inops.

EPIGRAMMA:

Um tremulâ quidam captaret arundine piſces;
Hamo glabrum hæſit, præda inopina, caput.
Tum ſubiens animum pietas, nullo uſa ligone,
Effoſsâ partem corporis abdit humô.
Tellus foſſori, quod texerat, obtulit aurum:
Reſpondet juſtis gratia prompta viris.

Fortunæ joci.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA:

FRigit abjectos, trudit fortuna ſuperbos;
Et, quod vix fieri credimus, illa facit.
Grande ſupercilium premet hæc, animoſq; tumentes,
Quamvis plenum auro nunc tibi flumen eat.
Quæ junco, & malvæ parcit vis aſpera venti,
Et quercum, & platanum ſternere novit humi.
Ergo tenero modum: ſervat ſibi nauta carinam,
Qui, licèt aura vocet, littora tuta legit.

Ale-

Alexandri effigies ex ære.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA:

QUi fuerit Macedo, docet oris forma verendi,
Hôc celſi virtus pectoris ære nitet.
Magnū habet hic nomen, quòd plurima regna ſubegit:
Qui ſe unum novit vincere, majus habet.

Humana miſeria, veritatis magiſtra.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA:

MIſerat in ludum, quo prima includitur ætas,
Natum pæoniâ notus ab arte pater.
Hæc puer edidicit -- *Per quem eſt invecta dolorum*
Ilias, in Ditem multaque turba ruit.
Ut pater hæc audit: puer, inquit, linque magiſtrum;
Non eſt cur adeas, quo doceare, virum.
Ecce tibi præceptor adeſt: hæc omnia planè
Patris ab exemplo diſcere nate potes.

Quod

Quod multis bonum eſt, alicui quandoque malum eſt.

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA.

LAtè planitiem ripis egreſſus in omnem
  Nilus, Ariſtagoræ prædia, remque rapit;
In glebâ natat ille ſuâ jam naufragus expes,
  Tectaque vicini non bene fulta petit.
Tunc ait: oh multi fruſtra, captique labores,
  Vanaque cura manus! omnia Nilus habet.
Unda hæc agricolis dulcis, quos ditat: at uni,
  Dum me prædiolo privat, amara mihi!

Ex Floril. lib. 2. cap. 19.

EPIGRAMMA.

PInxiſti Phaetonta, virumque Meneſtrate Pyrrhæ;
  Utraque ſit quonam digna tabella rogas?
Ambas pro merito pendam; Phaetontis ab igne
  Flagret forma, natet Deucalionis aquis.

Ex Florileg. lib. 3. cap. 33.

EPIGRAMMA.

CUnctorum gaudens in fletu portitor Orci,
Qui ſtigii tranas pigra fluenta lacus,
Quamvis Umbrarum numerô tibi cymba fatiſcat;
Me tot Diogenem Manibus adde canem.
En diplois, baculus mihi pera, & lecythus adſunt,
Quemve tibi ſolvam, ductor avare, triens.
Hæc habui vivens, hæc mortuus affero Diti;
Qui vitâ migrat paupere, dives erit.

Ex Florileg. lib. 7. Epigr. 48.

EPIGRAMMA.

A Cane correptus, rabioſa, ut fertur, in undis
Triſtia damnoſæ conſpicit ora feræ.
Me quoque corripuit lethali dente Cupîdo;
Hinc furor immiſſus menti inimicus obeſt.
Non calicem ſumo, non fontem conſpicor unquam,
Quin referat vultus, quos amo, lympha, calix.
Victor ut inſultet victis, hac arte malignus
Jugia curarum pabula præbet amor.

*****
****

Ex

Ex Floril. lib. 1. *cap.* 50.

EPIGRAMMA.

UT Mulus vivit, dum parcens ſumptibus, arcâ
  Computat ingentes Artemidorus opes.
Sæpe gerit fulvi Mulus pretioſa metalli
  Pondera, ſed dives pondere gramen edit.

Invitat Amicum ſuum ad audiendam Præfationem in Scholis Palatinis.

EPIGRAMMA.

OFficium cogit, prohibet reverentia fari;
  Vellem, ut — ſed retinet cætera ſenſa timor.
Et tamen effabor. Quid non ſtylus improbus audet?
  Quod vereor linguâ promere, dextra notat.
Vellem, ut poſt menſam mihi cras auditor adeſſes,
  Nugaſque exciperes vir gravis aure meas.
Afferet oranti quantùm præſentia pondus!
  Tunc nugæ incipient non nihil eſſe meæ.
Nil moror: innumeri vel ſi adſint ter Reverendi,
  Inſtar cunctorum tu mihi ſolus eris.
Quod ſi magna urgent, alióque vocaberis, auſo
  Ignoſcas, & me nil petiiſſe puta.

In laudem Cicadæ.

EPIGRAMMA.

FRondibus excelſis oh terque, quaterque beata,
Ut Regina, hauſto rore Cicada canens!
Nam quæcunque vides tua ſunt, quæcunque ſubactus
Fert ager, & ſtato tempore ſylva parit.
Te colimus, meſſis cum ſis divina futuræ,
Fructibus innocuam teque colonus amat.
Tu dilecta ſacris Muſis, dilectaque Phœbo,
Effundis cujus munere dulce melos.
Te argutam genuit tellus, & cantus amicam,
Non ſenio vires conficiente tuas.
Oh nullis ſervata malis, & ſanguinis expers,
Quis non te ſimilem diceret eſſe Diis?

Ex Auct. græc.

EPIGRAMMA.

INter Virgineum ludebat Delia cœtum,
Delia Virginei gloria rara chori.
Fortè Amor aſpiciens, hanc credidit eſſe parentem;
Oſculaque, impatiens, fer mihi, Mater, ait.
Erubuit Virgo percepto nomine matris,
Ignoto erubuit lumine captus Amor.
Erranti ignoſco; quis enim diſtinguere poſſit
Deliacæ formam Virginis, & Veneris?

De

De pravâ imitatione.

Ex Ælian. lib. 7. cap. 21.

ELEGIA.

Fœda exempla nocent, atque eſt imitatio turpis,
Si non culta placet, ſed vitioſa ſequi.
Exemplum grajo manans è fonte probabit;
Vel bona quòd multùm, pravè imitata, nocent.
Humani ſolers imitatrix Simia moris,
Et referens quidquid callida mima videt,
Intentis oculis ſublimis fortè notarat,
Nutricem fungi munere cauta ſuo.
Extulerat Puerum cunis, nexuque ſoluta
Effuſis Nutrix membra lavabat aquis.
Sedula faſciolis rurſus circumdedit illum,
Ablutum parvo compoſuitque thoro.
Addidit amplexus dulces, atque oſcula fixit;
Carmine quin blando eſt conciliata quies.
Impoſito ut cunis Nutrix Infante receſſit,
Illo nec cuſtos ulla jacente foret:
Simia confeſtim perverſo exarſit amore,
Viſam exercendi, nec minùs apta, vicem.
Nec mora. Deſiliens auſa eſt intrare penates,
Quà faciles aditus parva feneſtra dabat.
Tum ſe operi accinxit, quod non bene noverat, audax,
Attulit &, munus pravè imitata, necem.
Eximit en Puerum cunis, & vincula ſolvens
Mollia, complexu membra tenella fovet.
Admovet os villis horrens, atque aſpera figit

 Oſcu-

Oſcula, rejecto quæ fugit ore Puer.
Suſceptum rectè curarat Simia munus,
Ni pulchrum turpi fine notaſſet opus.
Nil huic reſtabat, niſi Natum ut tergeret undâ;
Fortè à ſubjecto ferverat igne lebes.
Protinus aſperſit ferventes ſedula lymphas,
Et Natum officio perdidit illa ſuo.
Optima reſpondent malè, ſi non exprimis aptè,
Deformant & opus, ni bene pulchra loces.

Ex Antipatro lib. 1. cap. 27.

EPIGRAMMA.

FEbri ardebat Anus, torrentis ſpongia Bacchi:
Ignibus hic Bacchi concitus ignis erat.
Sic affata Jovem. Si febris flamma remittat,
Per centum ſoles lympha bibenda mihi.
E' cribro, ut valuit, centum videt improba ſoles,
Et putat impletam calliditate fidem.
Calliditas eſt magna gulæ, ſed crimine cæca eſt,
Et nequit hæc lucis fallere cæca Deum.

In

In legatione Eminentiſſimi Guiſii.

Quercus ejus ſtemmatis comparatur cum quercu Palatina Octavii Auguſti.

EPIGRAMMA.

QUercus ad Auguſti celebrata palatia frondens,
Urbis ſervatæ viſa referre decus,
Admota Auguſti ſolio nunc Guiſia quercus,
Orbis ſervandi numen, & omen habet.

Auguſtæ Imperatrici, Areſii hortos ingredienti.

EPIGRAMMA.

ECce Auguſta umbris, & fontibus hoſpita noſtris,
Eximiis major, vilibus æqua meis,
Solis ab invidiâ te ſervans umbra ſuperbit,
Quòd non ſit tanto in lumine facta minor.
Lympha oculis objecta tuis pulchram efficit Irim,
Atque hinc æternæ pignora pacis habet,
Hìc jam delicias non quæris magna, ſed affers,
Tu venis humani delicium Generis.

Domino Duci de Borneville, Regiorum exercituum Magiſtro Generali, ad bellum Catalaunicum proficiſcenti.

EPIGRAMMA:

QUà flagrat illato pugnax Catalaunia bello;
Te Jovis Hiſpani tela regenda vocant.
Jam Bornevillæ caſtrenſis gloria, geſtis
Fortibus implevit Cæſaris auſpicia.
Te nunc Auſtriaci poſcit Mens altera Mundi,
Expertaſque vices poſtulat alter Atlas.
Ducere utranque ſoles ad provida caſtra Minervam;
Doctus mente meres, inclytus enſe ſapis.
Nuſquam cauſa fuit melior; tu ſtrenuus illam
Cum recto facies aſtra Catone probent.
Fortunæ invidiam purget tanta agnita Virtus:
Hæc jam juſtitiam fata docere poteſt.

Excel-

Excellentiſſimo D. Franciſco Moles, Supremo Cenſori Militari in Provinciâ Mediolanenſi.

ELEGIA.

OH noſtro conceſſe bono juſtiſſime Cenſor;
Cenſuram anticipans moribus ipſe tuis.
Commendat Virtus, quæ fert decreta Poteſtas;
Occupat exemplum munera Judicii.
Sed quæ difficilis Judex à te exigis uno,
Mitiùs à reliquis lance favente capis.
Oh dulce imperium, cui ſit parêre beatum,
Quòd pius illæſo jure gubernat Amor!
Gratia non minuit, ſed temperat optima juſtum,
Recta ſed ommiſſo verbere virga regit.
Per te fit legum melior Clementia cuſtos.
Sic genus humanum curat amando Deus.
In Terris ſequeris Cœleſtis regna Monarchæ,
Quem juvat in Cœlis eſſe juvando Jovem.
Sed magnâ cum mente pius mirâ efficis arte,
Legibus ut maneat cum pietate vigor.
Mens abitat *Molem*, quæ influxu provida miti,
Dum veniâ, & juſto regnat, utrinque ſapit.
Tu facis, ut facili majeſtas adſit amori,
Et grave, quæ parcit Gratia, Numen habet.
Lex tua non pœnis, proprio ſed numine terret:
Jura vel innocuo ſancta decôre vigent.
Eximiæ dotes noſtræ addixere ſaluti
Mens ingens, pietas vera, benigna Themis.
Exſolvunt grates reſcriptis, carmine, Cœlo
Munere pro ſancto Curia, Muſa, Deus.

Recurrente novo anno, felicitatē implorat Illuſtriſſimo Domino Daneſio Caſato, in Italiæ Conſilio apud Catholicam Majeſtatem Regenti.

ELEGIA.

Annus init, tibi ſemper eant feliciter anni,
  Et tua quæ Virtus poſtulat aſtra ferant.
Sors faveat meritis, Virtutem fata ſequantur,
  Seque probent meritis ſidera juſta tuis.
Nuncupo vota Cliens, ſed non quæ Vulgus amaret,
  Quæ Momus carpens arcet ab aure Jovis.
Et titulos, & opes, & inanes nominis auras
  Jam rides, animis nempe minora tuis.
Jam ſcis, quantùm inſit perituris rebus inane,
  Quaſque optant alii, tu miſeraris opes.
Tu nos vota doces, tota hæc jam patria dudum
  Exemplo ſapiens debuit eſſe tuo,
Expertus Mare, nec reputans ſua munera tanti,
  Exiſti, quamvis æquore riſus erat.
Nunc rate ſubductâ turbas à littore cernis,
  Dum quærunt conchas per vada cæca leves.
Ergo hæc, quam fecit tua jam ſapientia, duret
  Ipſo deſpectu laudis honora quies.
Et corpus valeat, valeant ut munia mentis,
  Civibus ut proſis, ut Deus ipſe velit.
Jam ſcio, ſola tui Deus eſt tibi formula voti:
  Quàm magnum à magno Numine corda regi!
Quin Deus ipſe velit pro me, cui cæca voluntas!

Ille

Ille amat, ille poteſt, ille ſcit, ille velit.
Perge ergo, ut ſatagis, poſt tempora parva fruendum,
Et meditans, & amans anticipare Deum,
Hoc facis, hoc præter tibi nil quod cariùs optem,
Oh cuncti hoc vellent! quàm daret æther amans!
Rejicimur ſtultis precibus, Deus optimus hoc eſt;
Si ſint in votis optima, nulla negat.

Amico ſuo ſapientiſſimo.

EPIGRAMMA:

IMpediunt dũ lenta pedẽ mihi Rheumata, promptos
Tu mihi lætaris carminis ire pedes.
Dum morboſa tumens cohibent hoc vincula corpus,
Conatur Pindi mens peragrare vias.
Attamen infelix non pergit Muſa, ſed errat,
Claudicat infirmo corpore clauda magis.
Quamvis nodoſæ non ſit medicina podagræ,
Oh ſapiens Muſæ tu medeare meæ,
Aonio tu recta jugo veſtigia ſignas;
Fac, licèt immensùm diſſitus, illa ſequar.
Docta viam tua Muſa docet, jam ſumma tenendo;
Indicat exemplo, quod mea neſcit, iter,

Frigidè laudantium calliditas.

ELEGIOLA.

GRandia conatur, ſed non hoc poſſumus omnes;
  Sunt quædam ingenii lumina; plura dabit.
Eſt genius, quandoque etiam feliciter audet:
  Non palmes tenerâ vite putandus adhuc.
Sunt quædam Hetruſcis non uſurpata Camænis,
  Sed quis ab ingeniis exigat iſta novis?
Noſtra ubi verſarit, cùm ſe firmaverit uſu,
  Auſibus accedet mens, genioque ſalus.
Oh ſi Furfureæ meditetur dogmata Sectæ!
  Oh ſi Petrarcam me præeunte legat!
Cernis, ut hæc ſaltem ſatis apta argutia ludat?
  Hôc quæ ſe vellent promere ſenſa locô?
Hìc quæ Torquatus, quæ quondam luſimus ipſi,
  Attentans, aliquas reddidit ille notas.
Parturit, at pariet, modò ſit conſtantia cœptis,
  Et modò, quæ facimus, quæve monemus, amet.
Quid ſi vana ſuis capiunt hunc ſæcula nugis?
  Sæculo, ut invaluit, nemo reſiſtit hebes.

In laudum Expiſcatores.

CARMEN.

AD laudum prædulce melos demittit ocellos,
  Abnuit, & modicùm conatus ſigna pudoris,
  Vana ſed obſtanti ſubridet gloria labro,
  Nec quæ jam dudum fingit ſimulacra tuetur.

A'ſub-

A' ſubſultanti diſcuſſa modeſtia faſtu,
Tum ſic majorem cupiens laudem ille refellit.
Ah quæſo, ah taceas, non has vulgaria laudes
Hæc mea depoſcunt; Si pergas, læſus abibo.
Ne derideri dicam, ſunt iſta faventis,
Non quâ præcellis mentem intendentis acutam.
Sed quamvis fateor, Muſamque agnoſco jacentem,
Noſtræ eſt ut veniam poſſint ſibi ſumere nugæ.
Hæc fundo oppreſſus curis, podagrâque tumente,
Dum Schola ſollicitat, lis dira refrigerat œſtrum,
Cauſidico miſeras interpellante Camœnas,
Audio dum ſtrages agri, dum furta Coloni,
Dum ſuperans cenſum proles, exenterat arcam,
Dum narrat miſer acta Cliens, dum urbanus acerbè
Creditor officio loculos terrente ſalutat,
Dum ludo, preſſuſque timet latrunculus hoſtem.
Oh ſi me totum ſibi vindicet una poeſis!
Sed ſe mille meis urgens Polihymnia curis
Injicit, & petulans nolenti obturbat Apollo.
Quin ſubitò plenus mihi carminis impluit imber,
Tum nimius me Phœbus agit, tum numine toto
Extat mente Deus, nec ſe ſe vena coercet.
Imò nec patitur lentam mens fervida limam,
Nec quicquam ſtylo mihi damnat ſpongia verſô.
Ambitione tumens ille hæc incondita jactat,
Nec riſum Auditor teneat, niſi feſſus ineptis
Oſcitet, & motas ſiſtant faſtidia ſannas.
At niſi laude tones, avidaſque expleveris aures,
Et jures miſeri ſuperatum carmen Homeri,
Explicat ille iterum ſaturam farragine chartam.
Suſpicit, & lento, grandique ad ſingula cantu
Ingentem regerit jam tritis auribus odam.
Subſiſtit plauſum, quà clauſula deſinit, altum
Poſcens obtutu, geſtu, incumbitque tacenti,
Te vel ab invitô donec magnum exprimat Ohe.

Ad

Arma, virumque meus quo cœpit numine vates,
Tu conata licèt nondum tot viribus æquas.
Jam quid Dardanii invitâ Junone penates
In Mundi imperium lati, pictaſque ferentis,
Irâ Junonis major, quin major Averni
Legibus in ſedes vivens admiſſa profundas?
Quid Turnum anteferens bacchata ſuperbia ſocrûs;
Quid ſacrum Evandri fœdus, quid Daunia caſtra,
Quid luctata diù, magnamque verentia fata
Imperii ſociam ſuperis adjungere Romam?
Quid tua, cui teneram reſponſat *Sylva Licorim*,
Quod tuba vix poſſit, carmen meditatur avena?
Majeſtas nondum veſtræ eſt conceſſa Camenæ,
Quæ potiùs turget, credens augere, quod inflat.
Tranſitu inaudito jungit diſtantia longè,
Componunt veluti quas ſomnia vana chimæras,
Cùm cita nocturno coeunt phantaſmata fumô.
Atque etiam excelſus Smirnæo à Vate character
Jam ſtudiis ſtetit aſſiduis, & laude paratâ.
Non tamen Auſonius Vates certavit Homero,
Quin cùm Paſtores ſiculos in prata vocaret
Auſoniæ, velletque Italis græcam addere Muſam,
Noſtra in prata ſuo venerunt nomine Daphnis,
Damætas, Choridon, Melibœus, Tirſis, Amyntas,
Et cecinere modis, queis tum Galatæa canebat,
Quos Galatæa tuos pulcher vel crederet Acis.
Sum faſſa exemplar peregrinos ſimplice Muſâ
Sic imitata modos, ut vellem imitata videri.
Nec minor inde fuit Vati fortuna modeſto,
Nam Græcus Paſtor noſtros cantavit amores
Ruribus Heſperiæ Cythiſum paſcentibus agnis;
Et dum cantaret, venêre ad carmina læti,
Sed mage, quàm Cythiſo Paſtoris amoribus agni.
Ergo oh Nata mei diſce ornamenta pudoris.
Sit pudor ingeniis, atque artem moribus ornent.

Proſe-

Proſequitur latina Poeſis, narrans mala Poeſis Italicæ.

ELEGIA.

Huc tandem venio, quâ te jactabis in aulâ,
  Quòd regnet veſtro carmine dulcis amor?
Omnes tu motus, omnes Cupidinis artes
  Docta ſcias, tractes callida, mollis agas.
Sic magnas mentes, & maxima corda triumphas;
  Non aliunde fluat dulcior iſta lues.
Oh utinam tantis non ſtarent moribus artes,
  Nec ſtaret tantis gloria veſtra malis!
Non tam blanda foves, nec amaret læſa inventus
  Hæc tam flagranti grata venena ſiti.
Oh meliùs triſti plectenda poemata Ponto:
  Hæc facit Eumenidum metra ſceleſta furor.
Vena hæc Pegaſeo vobis non ſcalpitur ungue;
  Hæc vobis Stygio ſcalpitur unda Cane.
Non tamen hoc agimus: Jam veſtræ indulgeo cauſæ
  Invidiam morum. Pendimus artis opus.
Unde bibens modicos deducis ſedula rivos:
  Hôc fontes Flaccus, Naſo, Catullus habent.
Horum carminibus Cytheræam affatus Adonis,
  Verſibus his Pſychen credo movebat amor.
Noſtro nata Mari Venus omnis, candor, acumen,
  Gratia, concentus, vena, figura Pathos.
Sed quando, ut cupitis, Muſâ certamus amante,
  Et divinus Amor corda Latinus init.
En nuper ſacras quibus ulta Tereſia, flammas
  Mirata humano ſidera Vate cani.

Viſum

Viſum optare nefas humano carmine dici,
  Afflatum in mentes, ingeniumque Dei.
Eſt dictum, ſeu divus amor ſe dicere viſus,
  Certè ipſum incluſo Numine carmen amat.
Oh Cœleſtis Olor Mæandri gloria noſtri!
  Sed mirum! ad laudes candidus ille rubet.
Parco: meas partes tam pulchro mando pudori;
  Se magis hìc laudat laude tacente pudor.

De Voluptate.

ELEGIA.

CUncta placere volunt Homini,ſenſuſq; per omnes
  Eſca voluptatis leniter acta ſubit.
Obſidet omne virûm latus hæc blandiſſima pellex,
  Et ſtatim à rerum fronte ſuavis adeſt.
Hæc ſunt queis alimur, queis gignimur oblita melle,
  Et vitæ cauſis blandus hic hoſtis ineſt.
Atqui in fronte ſedet; ſi guſtes, deficit intus.
  Obtentu modici mellis amara tegit.
Criminibus cunctis, cunctis hæc eſca periclis:
  Eſt quodcumque nocens, hoc placuiſſe nocet.
En placidis Nautas pulchrum Mare pellicit auris.
  Ecquis in hôc vultu non putet eſſe fidem?
Ut faciles riſu pellexit in æquora Nautas,
  Proditor iratis illico mergit aquis.
Et Bacchi, & Veneris quæ non promiſſa voluptas?
  Et Bacchi, & Veneris grata venena nocent.
Gaudia vult Mœchus,Fur,Latro,Homicida,Tyrannus;
Gaudia

Gaudia ſic ſperans, incipit omne ſcelus.
Principio dulci reputa quàm finis amarus;
Spinarumque memor linquere diſce roſam.
Si vis lætari, malè ne lætere caveto.
Oh quam dulce bonis vincere dulce malum!

In Cloridis diſceſſu.

EPIGRAMMA.

Cloris abit; nobis fugiens præcordia vellit,
Et, mage quàm ſe ſe, me mihi dura rapit.
Noctu ſigno ſuos memorans in ſidere vultus:
Hic riſum, hic crines, hic quod ocellus habet,
Conſcius aſt animus melioris imaginis intus,
In nobis (clamat) pulchrior illa nitet.
Ergo lego in toto pulcherrima lumina Cœlo,
Nec tantæ formæ ſufficit una Venus.
Sol meus ah fugiit. Jam lapſi ex æthere Solis
Quis niſi de Stellis parvula ſigna petat?
Sic nobis ſplendes ſtellato Cloris Olympo,
Et rident formis mitia fata tuis.
Sed fruſtra ſtellas compono. Pulchrior es tu,
Solem nox, quamvis tota, referre nequit.

Coram

Coram Patribus Soc. Jeſu locuturus.

EPIGRAMMA.

HOs modicos latices à veſtro fonte petivi:
Pauperiem rivi ſuppleat ille ſui.
Si meus in cupido defecit ſpiritus hauſtu,
Pœnitet à tanto fonte bibiſſe parum.
Non potui, at volui. Satis hôc divina paramus:
Eſt ibi pro magno flumine magna ſitis.

De fonte Romæ in areâ Templi Maximi D. Petri.

EPIGRAMMA:

SUm Mare dives aquis, venio quaſi flumen ad Urbẽ,
Ut fons hîc ſalio, ros cado, ſtagno lacus.
Omnibus alludo ingeniis fons unus aquarum:
Sic Roma ingeniis omnibus una placet.

De majeſtate à Poetis ſervandâ.

ELEGIA.

QUæritur, an quis amet ſalvâ gravitate Poeſim;
An ſit prudenti Muſa putanda levis.
Virtuti, & ſuperis ſacra eſt ab origine Muſa,
Virtuti, & ſuperis inde Poeta ſacer.
Verùm qui in viles uſus abjecerit artem,
Omnibus hic diris eſto Poeta ſacer.
Quòd ſi quæris opes, Themidis ſi quæris honores,
Et pergis verſu quærere, mente cares.
Maxima mens Vatum jucundum jungit honeſtô,
Utile fata jubent mente minore pari.
Nulla juvant cenſum ſterilis ſaxa arida Pindi,
Non Helicone nitent ambitionis opes.
Ne pauper Vates ſuperos obtunde querelis:
Æternô ſculpſit ſic adamante Deus.
Pauperiem fugiens, fugias quoque carmen oportet;
Curia Caſtaliis eſt aliena modis.
Si res parta tibi ſatis eſt ad commoda vitæ,
Naturæque modo ſi tua vota regis,
Si tangunt humana parum, ſi ſpernis in urbe
Cenſeri rerum nummo, & honore potens,
Diſtrahit ingenium ſi nulla inſana libido,
Non lis, non curæ, turba nec ulla domi,
Si reliquas calles, queis Muſa innititur, artes,
Nec vacuis numeris carmen inane ſonat,
Si potes in ſcenam vanos non edere amores,
Quâ facilè afflari peſte juventa ſolet,
Nec fœda imberbi, nec dicere amara potenti,
Non laudare malos, non lacerare bonos,

Judi-

Judiciumque levis raro tentare Popelli,
  Nolle æſtiva tuis plena flabella jocis;
Si ad caſus quoſcumque potes graviora revolvens,
  Tonſtrinis promptos non dare verſiculos,
Virtuti, atque Deo tua pangere carmina ſolis,
  Et velle à ſolis præmia certa lyræ,
Tunc vatem prudenter agens ſpectaberis arte,
  Non aliis vilis, nec tibi ſorte miſer.

De Sympathiâ.

ELEGIA.

Quum pariter rebus duo corda moventur iiſdem;
  Attica lingua pati dixit utrumque ſimul.
Protinus hac ſimiles animi pietate cohærent,
  Fitque ſimul patiens ſic patientis amans.
Te movet in ſimilem ſenſu natura libenti,
  Et velut in partem te rapit illa tui.
Quatuor à cauſis eſt hic concentus amorum,
  Temperie, ingenio, ſidere, more pari.
His alii docti quintam ſublimiter addunt;
  Obtutum humanum ſed nimis alta fugit.
Muſica ſtat (dicunt) animis proportio noſtris;
  Hac quod amavit opus condidit arte Deus.
Fit, ſi concurrant, numeris modulamen amicis,
  Fit, niſi concurrant, aſper in aure ſonus.
Octavæ alludit concentu tertia dulci,
  Non facit ad quartam quinta relata melos.
Ergo ſi harmonicis animos concurrere metris
Acci-

Accidat, inter eos conſonat unus amor.
Contra ſi inter eos contentio diſſona pugnet,
Mutua disjungunt odia diſſimiles.
Verùm hæc Artificis divini arcana relinquam,
Olim clara mihi ſpero, docente Deo.
Certè diligimus ſimiles. Sors optima vitæ eſt,
Te carum eſſe bonis. Ergo imitere bonos.

De Phyſiognomiâ.

ELEGIA.

ORdine ſtructuræ monſtrabat Græcia quondam,
Illa cui ſtarent ſingula templa Deo.
Dorica Saturno, ſtabantque corinthia Bacco,
Ædis ioniacæ culta lepôre Venus.
Sic animos credunt conformi in corpore noſci,
Hinc morum phyſicas ars meditata notas.
Sæpe tamen fallit, quòd inania ſigna ſequatur,
Quum ratione caret digna carere fide.
Nempe quid ad mores inſpectæ linea frontis,
Seu Venerem profert, ſeu ſecat illa Jovem?
Quid vola per ſeptem colles habitata Planetis,
Integra fatidicis ſit quaſi Roma diis?
Cingulus en Veneris felix, en ſemita lactis,
En jactant pugnô fata prehenſa viri.
En velut inſcriptæ ſint hæc diagrammata ſortis,
Quas nugas artis nomine turba colit.
Imprimit hæc nobis maternâ caſus in alvo,
Vincula ut illa notant laxa, vel arcta cutem.
Præterea eſt aliis fallax hæc notio ſignis,

Quæ

Quæ vix digneris ſuſpicione levi.
Inſtrumentum animi quamvis ſit corpus agentis,
Sæpe animus pravo corpore recta gerit.
Interdum fiunt ſcalpris bona ſigna retuſis,
Quum ſcalprorum aciem ſuppleat arte manus:
Sic meliora facit mala corporis organa Virtus,
Sic Genius turpi in Socrate pulcher erat.
Ars levis, & poteris, nimis hac ſi fortè laboras;
Improbus hic etiam moribus eſſe labor.
Mentem ad magna datam non fas impendere nugis;
Ingratum eſt fructu perdere dona levi.
Naturam alterius ſtudio cur quæris inani?
Si libet ulteriùs noſcere, noſce tuam.

De filiis, circa quos verſatur præcipua pars Œconomiæ.

ELEGIA.

NObis proſpiciunt natis pia regna parentum;
Nos ſpes, non patriæ maxima cura domus:
Præceptor vitæ rerum nos deficit uſus,
Obnubit mentem multa libido novam.
Sic ſumus in lubricis alienâ mente regendi.
Fungitur hac præſtans arte paternus amor.
Sed placidum regnum placidi ſubeamus oportet;
Subjecti virtus eſt bene regna pati.
Percipit interdum ſapientûm dicta juventus,
Verùm perceptis neſcit habere fidem.
Audit, quàm noceas ſtultis malè ſana voluptas,

Sed

Sed ſenſus ridens dicta, nocere negat:
Improbus auditor recti ad dictamina ſenſus;
Hunc ad honeſtatis ſenſa, tacere jube.
Quod ſi mira tibi videantur ſenſa docentis,
Mandat, diſcentem credere dogma vetus.
Cum patre Œconomo Œconomus quoque filius eſto:
Parendi prudens perficit imperium.

Ad Principes Italiæ.

CARMEN PARÆNETICUM.

NOn jam longinquis vos terret nubibus æther,
Nec dubio fremitu murmurat ira Jovis.
Lucent littoribus miſeranda incendia veſtris,
Et vorat Auſonias Gallicus ignis opes.
Exemploque ferox reliquis jam portubus inſtat;
Jamque petit totum ſparſa favilla rogum.
Et ceſſatur adhuc Italis? Nondum urget inertes
Jam populans veſtros intima flamma lares?
Non ſolùm ſtertunt, paries dum proximus ardet;
Ipsâ nec ſapiunt Urbe flagrante Phryges.
Quid ſperatur adhuc? num ſe ſe ut temperet ignis,
Materiæque velit parcere, parte ſatur?
Non eſt hæc avidæ ſperanda modeſtia flammæ,
Et donec ſupereſt, provocat eſca facem.
Neve tuliſſet opem nuper fortiſſimus Heros,
Jam flamma in noſtro ſurgeret alta ſinu.
Hos tamen immeritis ſpargentes fulgura tectis,
Defenſo exegit littore parva manus.

Cur vos devovit tam dira in fata veternus?
 Cur vos nec jugulô cuſpis adacta movet?
Patria tam celebris quondam, templa alta, penates
 Servari veſtrâ nec pietate merent?
Quid Cœlum arguitis? Non eſt ignavia fatum,
 Inclyta nec voto deſidis aſtra favent.
Quin vos conjungit communis cura ſalutis,
 Queis par non fuerit ſingulus, omnis erit:
Urget ſupremum tempus, nec deinde futuræ
 Auxilio, quas jam fregerit hoſtis, opes.
Quæritur ah fruſtra jactô jam fulmine laurus,
 Nec moli immiſſi fluminis agger obeſt.
Invictum damus ecce Ducem communibus armis,
 Quo veniente hoſtes jam didicere fugam.
Vicit hic aſpectu, quin juſto milite vincat,
 Et factam præſtent tam pia fata fidem.

De Æquô, & Bono:

In Ariſtotelem:

ELEGIA:

JUſtitia eſt miſeræ moderatrix optima Genti;
 Hinc tulit humanos terra ferina modos.
Gentibus hæc ſociis conventum, & jura tuetur,
 Fœdera juſtitiæ numine ſancta manent.
Quod carum obtingit nobis, hac præſide noſtrum eſt,
 Patria, deliciæ, commoda, fama, domus,
Pectoribus noſtris hinc optimus ardet amorum;
 Quo pius alterius commoda civis agit.
Naturæ hinc noſtræ pejora in ſæcula verſæ,
 Innocui facies temporis eſſe queat,

Ni fons Juſtitiæ legum terroribus horrens
  Vultibus implacidis commoda tanta tegat.
Huic præfert faſces inceſſu pœna minaci,
  Et Timor Aſtrææ regna ſatelles obit.
Nam facit humano ſuſceptum crimen ab ortu,
  Ut ſint præſenti jura tuenda metu.
Triſtitiam Themidis lenit, quod dicimus, Æquum,
  Quodque bonum, hinc læto gratia parta foro.
Hoc docet infirmæ naturæ ignoſcere lapſis,
  Lenire exacti juris acerba docet.
Mitior interpres juris nimis aſpera mollit;
  Hinc Populi leges non tolerant, ſed amant.
Hoc quæ præteriit lex in commune jubendo,
  Supplet ſuffecto ſingula jure cavens.
Hinc jã recta placent, Amor hôc moderamine regnat;
  Jungitur hinc facili Gratia Juſtitiæ.
Scilicet auratis redeunt tunc Gentibus annis,
  Cùm juſtum placido munere dulce redit.

Hoſtium dona, etiamſi abſint fraudes, & doli, exitioſa ſemper eſſe donatô.

Ex Leontio.

EPIGRAMMA.

Baltheus Ajacis donum Hectori, & Hectoris enſis
  Ajaci; infauſtum munus utrique fuit.
Baltheo Achillæus raptat cæſum Hectora currus;
  Ajax donatô ſe ferit enſe furens.
Hoſtili genio vitiatur gratia doni,
  Lethiferum ſemper munus ab hoſte venit.

Ex

Ex Anacreonte.

EPIGRAMMA.

PUlchrum Muſa roſis Helicone revinxit Amorem,
Munus honeſtati mox dedit illa Deum.
Mercedem edixit ſolventi vincula Cypris,
Et pars mercedis maxima vultus erat.
Sed quamvis ſolvant, negat ille exire ſolutus:
Imperio decoris dulce ſueſcit Amor.

Ex Florilegio lib. 1. cap. 60.

EPIGRAMMA.

PSittacus aufugiens caveâ, quod in urbe ſolebat
Dicere, Cæſar ave, dixit in arva volans.
Dixit avis domino, quamvis fugitiva, ſalutem,
Sed dictura Vale, ut barbara dixit ave.
Cæſar, Cæſar ave, cunctæ didicere volûcres;
Jam tota officii carmine ſylva ſonat.
Orpheus edocuit bruta, at te maxime Cæſar
Omnis amans Dominum ſponte ſalutat avis.
Cæſaris invictas Aquilas avis omnis adorat,
Terra omnis Latium ſic venerare Jovem.

Hominis felicis Epitaphium,

Quod habetur in Floril. lib. 3. cap. 1.

EPIGRAMMA:

Hôc tumulô poſitos cineres ne fleto Viator,
Sunt vitæ, & mortis mitia fata meæ.
Vidi natorum natos uxore ſeneſcens,
Et caſtâ, & placidâ, tres & amante nurus.
Quamvis tot nobis cari alluſere nepotes,
Lugendus morbo, aut funere nemo fuit.
Hi me ſublatum miſêre in regna piorum,
Ut brevis in terris pax mihi longa fluat.
Hic melior ſomnus vitæ bona ſomnia claudit,
Ne fletus ſomnis obſtrepat, oro meis.

Neceſſitas ingenioſa.

Ex græc. Auct.

EPIGRAMMA.

Fert cæcus claudum, conſtatque inceſſus utrique:
Defectum hic ſupplet luminis, ille pedis.
Mutua ſic jungunt homines commercia rerum;
Utilitate pari fit ſocialis amor.

Ex Florileg. lib. 1. cap. 1. Epigr. 20.

EPIGRAMMA.

RUrſus Cymba viros portat Lethæa trecentos,
Omnes adverſo vulnera Marte gerunt.
Dixit Nauta: Novos huc mittit ſparta Leones:
Omnia magnanimum vulnera pectus habet.
Martia turba ferox noſtros tandem accipe ſomnos,
Neve ſit hæc umbris pax violenta tuis.

Ex Florileg. lib. cap. 23. Epigr. 19.

EPIGRAMMA.

THejoniæ flevi thalamos, ſed cara relictæ
Spes prolis fletus viſa levare meos.
Mox dulcem quoque Parca rapit nimis invida prolem:
Heu quoque deceptas ſpes fleo nate tuas!
Hoc concede patris lacrymis Proſerpina juſtis:
Materno puerum fauſta reconde ſinu.

Ex eodem lib., & cap. Epigr. 10.

EPIGRAMMA.

HIc Lybis Auſonio prope Romam pulvere condor:
Virgineo cineri jam ſit arena levis.
Clauſit ut ingenium pulchro Pompeja ſepulchro,
Scilicet ut prolem nutriit ante ſuam.
Mutavit noſtras livens Proſerpina tædas:
Quas promiſit Hymen, dat Libitina faces.

Ex Florileg. Antipat.

EPIGRAMMA.

ME ſiccam platanum tegit alto palmite vitis:
Cernis, ut externis floreo pulchra comis!
Frondibus at noſtris eſt fulta virentibus uva:
Non iſti invîdi Veris & ipſa decus.
Attamen hanc foveat, gratam qui quærit amicam;
Hinc ſolùm extinctos gratia rara manet.

Inſcriptio tumulô Archianaſſæ.

Ex Florileg. lib. 3. cap. 12.

EPIGRAMMA.

ARchianaſſa jacet meretrix Colophonia quondam,
Cujus & in rugis dulce ſedebat amor.
Illa fuit juvenis quàm magnus amantibus ignis!
Tanto quàm modicus reſtat ab igne cinis!

Ex Alcæo.

EPIGRAMMA.

AJacis ſaxum ne me deſpexeris hoſpes,
Jam percuſſorem pectoris Hectorei.
Nigrum, informe vides, ſed magnus dicat Homerus,
Ut mea jam moles Hectora ſtravit humi.
Subjecto vecti nunc me vix turba moveret
Indigena, at generis dedecus ipſa fui.
Tu me conde ſolo, Gentis ne ludus ineptæ
Ajacis videar non meruiſſe manus.

EPIGRAMMA.

QUæ Piſcatorem me navis paverat ante;
Nunc combuſta meum paſcere juſſa rogum.
Quâ quondam in vitâ, ſum nunc ad tartara vectus,
Nempe viam navi menſus utranque meâ.
Inſtrumento artis cineres miſcere coactus,
Agnoſco, in propriâ quemlibet arte mori.

Reſpondet Epigrammati præclari Viri, qui gratias ei plurimas impertitur, eò quòd eum laudaverit nonnullis carminibus.

EPIGRAMMA.

A' Me, quem laudas, Muſis tractatus iniquis
Erubuit ſtulto carmine læſus honor.
Non hic honor, quo dignus eras; Vix Attica Siren,
Vix ſatis Arpinas digna ſuada tui.
Ergo ne doleas, doluit quòd rheuma: Fuiſſent
Ægriùs auriculis noſtra ferenda tuis.
Ægra tuo capiti fecit natura dolorem;
Jam tibi cur doleant, & malè ſana meum?
A' me læſus honor facit auditoribus iram.
Non hôc perdendus crimine amicus eras.

FINIS.

INDEX
EORUM,
Quæ in hôc Libro continentur.

A

Æquum, & Bonum ex Ariſtot. fol. 241
Æthna deſcriptio. fol. 115
Alceſtis apud Euripidem. fol. 197
Ambitioſus meditans ſibi ſepulchrum. fol. 48
Amico extincto. fol. 230
Amico peregre abeunti. fol. 159
Amico ſuo ſapientiſſimo. fol. 227
Amico ſuo Senatori. fol. 153
Amico ſuo, ut Epiſtolas mittat. fol. 107
Amicum invitat ad audiendam præfationem in Scholis Palatinis. fol. 219
Amor doloſus magis nocet, quàm odium pro feſſum. fol. 1
Amoris veri neceſſitas. fol. 50
Animi motiones unde exorta. fol. 175
Athenienſium injuſtitia. fol. 155
Auſtriaca domus antiquitas. fol. 109

Bene-

B

Beneficiorum reminiſcentia. fol. 47
Bigamus. fol. 205
Borneville Duci. fol. 224

C

Caſato Daneſio. fol. 226
Chriſti amor in Sacramento. fol. 29
Cicadæ laus. fol. 220
Cloridis diſceſſus. fol. 234

D

Damnandum non eſt omne optimum, ex eo quòd peſſimè aliquando corrumpitur. fol. 201
Deo tribuenda laus noſtra. fol. 36
Deus amans. fol. 48
Omnium inſpector. fol. 37
Divitiarum bonus uſus. fol. 133
Durando vincere. fol. 130

E

Echo. fol. 206

F

Filii, circa quos verſatur præcipua pars œconomiæ. fol. 239
Flores magno pretio empti. fol. 138
Fortitudo vera quænam ſit? fol. 49
Fragorum munus ab amico ſuo acceptum. fol. 34

Flori-

Florilegii græci, & aliorum clari nominis Auctorum verſiones fol. 99. *Epigr.*
Fol. 107. *Epigr.*
Fol. 111. *Epigr.*
Fol. 112. *Epigr.*
Fol. 113. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 114. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 115. *Epigr.* 1.
Fol. 118. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 119. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 120. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 121. *Epigr.* 1.
Fol. 125. *Epigr.*
Fol. 130. *Epigr.* 1.
Fol. 133. *Epigr.* 1.
Fol. 137. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 138. *Carmen.*
Fol. 140. *Epigr.* 1.
Fol. 143. *Epigr.*
Fol. 144. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 145. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 149. *Epigr.*
Fol. 150. *Epigr.*
Fol. 156. *Epigr.*
Fol. 157. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 158. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 161. *Epigr.*
Fol. 163. *Epigr.*
Fol. 166. *Epigr.*
Fol. 167. *Epigr.*
Fol. 168. *Epigr.*
Fol. 169. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 171. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 172. *Epigr.* 1.
Fol. 173. *Epigr.* 2.

Fol. 174. Epigr. 1., 2., & 3.
Fol. 180. Epirgr. 2.
Fol. 181. Epigr. 1., & 2.
Fol. 182. Epigr., & ode.
Fol. 184.
Fol. 185.
Fol. 187.
Fol. 189.
Fol. 194.
Fol. 195. Epigr. 2.
Fol. 196. Epigr. 1., & 2.
Fol. 201. Epigr. 2.
Fol. 202. Epigr. 1., & 2.
Fol. 203. Epigr. 1., & 2.
Fol. 206. Epigr. 2.
Fol. 207. Epigr. 1., & 2.
Fol. 208. Epigr. 1., & 2.
Fol. 209. Epigr. 1., & 2.
Fol. 210. Epigr. 1., & 2.
Fol. 211. Epigr. 1., & 2.
Fol. 212. Epigr. 1., & 2.
Fol. 213. Epigr. 1., & 2.
Fol. 214. Epigr. 1.
Fol. 215. Epigr. 1., & 2.
Fol. 216. Epigr. 1., & 2.
Fol. 217. Epigr. 1., & 2.
Fol. 218. Epigr. 1., & 2.
Fol. 219. Epigr. 1.
Fol. 220. Epigr. 2.
Fol. 221. Elegia.
Fol. 222. Epigr.
Fol. 242. Epigr.
Fol. 243. Epigr. 1., & 2.
Fol. 244. Epigr. 1., & 2.
Fol. 245. Epigr. 1., & 2.

Fol. 246. *Epigr.* 1., & 2.
Fol. 247. *Epigr.* 1. , & 2.
Fol. 248. *Epigr.* 1.
Florilegii graci verſiones in Latinam , & Italicum idioma à fol. 51. *uſque ad* 96.

G

GEnitori ſuo. fol. 51
Geſticulatoris deſcriptio. fol. 123
Gloria deſiderium poſt mortem ſuperſtitis. fol. 134
Guiſio Eminentiſſimo. fol. 223

H

HOmo expeditus. fol. 138
Honoris mala opinio. fol. 104
Horologio ſolari inſcriptiones. fol. 33
Horologio ſolari, turri affixo, inſcriptiones. fol. 34
Humana inquietudo. fol. 36

I

JEſus natus. fol. 40
A' magis adoratus. fol. 23
D. Ignatii Loyola laudes dum canit Magiſter ſuus. fol. 38
Imperatrici Areſii hortos ingredienti. fol. 223
Ingenia excolenda. fol. 129
Inſula beata Oceani. fol. 154
Italiæ Principibus. fol. 240
Junius Brutus filios occidi jubet. fol. 180
Juſtitia ſervanda. fol. 100

Lati-

L

LAtina Poeſis diſputans de ſuis laudibus. fol. 230
Aliud. fol. 232
Latina lingua nobilitas. fol. 139
Laudantium frigidè calliditas. fol. 228
Laudum Expiſcatores. fol. 228
Libido ſemper famelica. fol. 170

M

MAddio Jo. Baptiſtæ, è Soc. Jeſu, filio ſuo. fol. 28. 29. 30. 53
Maria Virgo Phoſphoro comparata. fol. 38
Mendicus ſtipem quæſivit Imperatori. fol. 204
Moles Franciſco. fol. 225
Mors quotidie meditanda. fol. 43. 49
Mortis laus. fol. 37
Mortuo N N. fol. 140. 146
Mulier febris eſt. fol. 102
Mulierum amor lucri avidus. fol. 214
Mundus habet tria periculoſa. fol. 172
Quaſi non ſit debet nobis eſſe. fol. 141
Sinè pace. fol. 41
Munus olei ad Religioſorum cœtum. fol. 200
Munus placenta ad eundem. fol. 195

N

NIobis marmorea Statua. fol. 106

O

OFficium juxta menſuram cuique tribuendum. fol. 179
Opinione ſapiùs, quàm re laboramus. fol. 170
Orator bonus quis ſit? fol. 198
Aliud. fol. 199

P

PP. Societ. Jeſu. fol. 150
Ad eoſdem locuturus. fol. 235
Patriæ ſuæ. fol. 192
Peccatori. fol. 48
Philippi IV. Hiſpaniarum Regis funera. fol. 32
Philippi IV. in obitu. fol. 46
Phyſiognomia. fol. 238
Platonis locus in pr. de Republ. fol. 183
Plinii laus. fol. 179
Poetæ ſervent Majeſtatem. fol. 236
Præſulis vigilantiſſimi laus. fol. 204
Princeps colat artes liberales. fol. 101
Probabilitas falſa. fol. 134
Prodigus, & Avarus quis magis noceat? fol. 103
Prudentia ſervanda. fol. 164
Pugnæ deſcriptio. fol. 185
Puſterla Barth. è Soc. Jeſu. fol. 39

R

RHetoricæ Magiſtro legendum tradit, quod edidit in funere Phil. IV. fol. 33
Rerum novarum ſtudioſi. fol. 105
Roma fons in areâ D. Petri. fol. 235

Roſa,

Roſa, ſymbolum humanæ caducitatis. fol. 205
Ruri paratô ad quietem pii Magnatis. fol. 178
Ruri inſcriptiones. fol. 118
Rus modeſtè extructum. fol. 151

S

SApere ad ſobrietatem. fol. 132
Sapientiæ ad hominem allocutio. fol. 135
Sedulitas ſtulta. fol. 205
Senatoris Aula. fol. 122
Sympathia. fol. 237
Studia ſublimia intempeſtivè adeuntibus. fol. 197
Studiorum initium. fol. 121. 127

T

TAbulis pictis in Mediolani Senatu inſcriptiones, quæ apponi debebant. fol. 48

V

VErecundiæ, & timoris inditia. fol. 99
Verum, & falſum. fol. 110
Veris deſcriptio. fol. 126
Viridarii Statuis marmoreis inſcriptiones. fol. 152
Viro præclaro reſpondet, qui gratias ei plurimas impertitur. fol. 248
Virtus quandoque à Popello malè habita. fol. 110
Vita hominis infelix. fol. 40. 42
Vita hominis felix. fol. 117
Vitæ curſus partitus in decem hebdomadas. fol. 173
Voluptas. fol. 233

FIN

AG 2515630

1' 10.

Digitized by Google